DECRETA, EDITA
ET PROMVLGATA
IN SYNODO DIOECESANA
LAVDENSI,*

Quàm perillustris, & Reuerendiss. D. Ludouicus Taberna Dei, & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Laudensis, & Comes

Habuit

ANNO M. D. LXXXXI.

Adiectis præterea ad extremum constitutionibus, edictis, & decretis, quæ certis anni diebus populo sunt enuntianda.



MEDIOLANI, Apud Pacificum Pontium. 1591.

De consensu Superiorum.

LVDOVICVS TABERNA,

Dei, & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Laudensis, & Comes &c.

Clero populoq; suo salutem in Domino.

PASTORALIS cura dilectissimi, si verè, sanctèq; suscipiatur, maximi momenti res est, variaq; ac grauissima munera comprehendit. Illud verò pernecessarium, vt tempore congruo pro rerum necessitate Clero conuocato Episcopus ea decernat, quæ ad commissi gregis salutem pertineant. Cum enim ex humana imbecillitate paulatim mores aliqua ex parte semper deprauentur; virtutumq; christianarum disciplina remittatur; omnino autem homines ad maiores in Domino progressus quotidiè sint excitandi; multa corrigere, prouidere, statuere identidem necesse est; ad ecclesiam reformandam, ad prauos hominum mores cor

 rigendos;

rigendos, ad augendum Dei, sanctorumq; cultum, ad continendos in officio sacerdotes, & deniq; Christifideles ad Dei amorẽ, eiusq; mandatorum obseruationem incendendos. Quare quo primum tempore Episcopale onus nobis fuit impositum de synodo in nostra Diœcesi celebranda cogitauimus, si modo in ea nobis datum esset residere; sed id minime licuit; etsi enim exiguæ sint vires nostræ, in grauibus tamen alijs sanctæ sedis Apostolicæ negotijs, vt omnibus manifestum est, eas exercere iussi sumus. Cum vero Deo concedente venimus ad ecclesiam nostram, vt vberior esset Synodi fructus, prius expedire in Domino visum est, vrbem ipsam, diœcesim, ecclesiasq; omnes inuisere; vt locorum omniũ statu perspecto quæ reformatione indigere viderẽtur, ea facilius in synodo pleniusq; constitueremus. Itaq; visitatione anno superiori Dei ope absoluta, vt primum fieri potuit, synodum ipsam habere curauimus, & ita extremam operi quodammodo manum imponere. Licet enim in vno-

quoq; loco, quę propriè opus esse videban tur decreta essent: multa tamen etiam eaq; grauia communiter in synodo præscriben da relicta sunt. Hæc autem non necesse habuimus longe petere, aut animo nostro inuestigare: sed ex Prouincialibus Decretis pleraq; sumpsimus, quę singulari quadam Dei benignitate, Caroliq; Cardinalis sanctæ Praxedis, & Archiepiscopi religiosissimo studio, ad huius Prouinciæ vsum his temporibus confecta sunt, ijs siquidem quidquid in hoc genere necessarium erat, copiosè satis sancitum est. Decreta igitur Conciliorum Prouincialium excerpsimus, quæ hoc tempore ecclesiæ nostræ reforma tioni præcipuè accommodata viderentur; eaq; vnà cum alijs nostris, vt executioni demãdentur hoc libro proposuimus; vt quę iãdiu libenti animo à nobis suscepta sunt; ea nunc in memoriam reuocentur, præcipuaq; cura ac diligentia vsui accomodentur. Quo in genere duo hic monere visum est: alterum, vt quæ summatim attigimus, ne volumẽ nimis cresceret ea fusius

descripta inter ipsa Prouincialia Decreta ij videant, quoties opus fuerit, ad quos ea res pertinebit; alterum verò quod licet hæc tantum attigerimus, quæ nobis diœcesis nostræ statum contemplantibus præcipuè occurrerunt; ne ob id tamen quisquam existimet reliquam Prouincialium Decretorum partem, nobis curæ non esse: qui potius hac in re non paruam multorum negligentiam reprehēdimus, vehementerq; monemus omnes, quos opportet, vt ea diligētius cognoscere posthac studeant, & vsu ipso perficere; ne id postea nos iubere nouis pœnis propositis cogamur. Nunc illud superest, vt hæc omnia hilari vultu, promptaq; voluntate, quàm citius perfectiusq; fieri poterit, exequamini: quamquam & pro communi omnium cōsolatione illud nequaquam reticendum est, magnas Deo agendas esse gratias, quòd à die cœptæ visitationis multa à nobis prescripta, iam vsu perfecta sunt ad ecclesiarū, ecclesiasticæq; disciplinæ restitutionem. Sed incœpisse nihil aut parum proderit, perfecisse autem;

&

& laudabile fuerit, & præmio dignum. Atq; omnes quidem Christifideles nostra monita audire debent, ac perficere: præcipuè tamen Sacerdotes, & animarum pastores, ipsi enim, & morum integritate, & præcipua animi pietate cæteros omnes antecellere debent: hoc ipsum ordo sacerdotalis requirit, onus pastorale postulat, charitas expetit: hoc idem ipsis non solum sæpissime sacræ præcipiunt litteræ, verum etiam torpentibus, & negligentibus grauissimè minantur. Hos igitur in primis, tùm omnes filios nostros in Domino cohortamur, & obsecramus. vt quemadmodum paternis charitatis visceribus affecti pro eorum salute hæc obseruanda proposuimus; ita ipsi filiali timore, atq; amore adducti lætissimo animo efficienda suscipiãt; quam ad rem vberrimas gratiæ suæ opes, Dominus vobis, vt elargiatur vehementer precamur.

INDEX

INDEX TITVLORVM qui hac synodo continentur.

IN NOMINE SANCTAE, ET INDIVIDVAE TRINITATIS, PATRIS ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI.

DECRETA
condita in Synodo Diœcesana Laudensi.

DE FIDE CATHOLICA tuenda.

VT à fide Catholica sine qua impossibile est (vt ait Apostolus) placere Deo initium sumamus, & maiori qua fieri potest vigilantia crimen Hæresis, quod Diuinam Maiestatem grauissimè offendit, à diœcesi nostra arceatur, Innocentii III. ac Conc. Prouin. Secundi auctoritate innixi, Edictum contra Hæreticos, aut eo nomine suspectos confecimus, quod ab omnibus Parochis cum particula Bullæ in die Cœnæ Domini hoc nomine legi solitæ, bis in singulos annos temporibus infra annotatis cum populus in Missæ sacro frequentior aderit de scripto pronunciari, atq; emulgari mandamus. Tit.1.Dec. primo.

Cum Sacrosancti Tridentini, & Prouinc. Conc. Decretis caueatur, vt prouisi de Canonicatibus, & Præbendis, vel dignitatibus in Cathedrali, aut de Parochialibus ecclesiis, necnon approbati ad audiendas Confessiones, & prædicandum verbum Dei, etiam si Regulares fuerint, & exercentes publicè vel priuatim quascunq; litterarias, aut librarias artes, seu munus quodlibet medendi; ac alii in ipsis Decretis nominati, teneantur iuxtà formulam in Constitutione fœlicis recordationis Pii Papæ Quarti præscriptã fidei pro- Sess. 25. c. 2. de refor.

fessionem facere. Ideo vt certo sciamus an omnes ad quos spectat dictis decretis paruerint, sancimus, vt quilibet, qui fidei professionem fecit, vel in futurum faciet dictæ professionis scriptum testimonium penes se habere teneantur, vt quando opus fuerit, illud exhibere possit, alioquin contra ipsos procedetur ad eorundem Conciliorum præscriptum, ac si professionem non fecissent.

Vt autem facilius fidei professio ab his singulis fiat, concedimus facultatem Vicariis foraneis, vt in diœcesi illam recipere possint notario, & testibus adhibitis.

Habeatur etiam in Cancellaria liber certus perpetuò ibidem asseruandus, in quo annotentur nomina, & cognomina, dies, mensis, annus, & causa eorum, qui fidei professionem fecerunt.

Nòn sine animi nostri dolore animaduertimus nimiam iudęorum familiaritatem, assiduumq; commercium, quæ homines salutis suæ penè obliti cum illis habent à Ciuitate ista, non esse penitus sublata, neq; Constitutiones Pauli Quarti & Pii Quinti Summorum Pontificum, & Decreta Conciliorum Prouinc. super hoc edita seruari. Ideo mandamus sub pęna interdicti ingressus ecclesiæ omnibus cuiuscunq; status, & conditionis sint qui iudæis operā locant ne apud eos cibum capiant, pernoctentur, sed laboris accepta mercede domum suam quamprimum redeant. Parochi verò quandocunq; vsu venerit fideles sibi commissos moneāt, vt ab eiusmodi abusibus abstineant eisq; proponant, quòd contra ipsos procedetur ad pœnas in dictis Decretis contentas, ac etiam grauiores pro modo culpæ, & eos quos in hoc contumaces esse repererint ad nos deferant, vt pro Pastoralis officii munere ipsorum saluti prouidere valeamus.

Grauiter etiam Parochi, & Confessores eos reprehendant, qui sacræ scripturę verbis, & sententiis ad iocum, aut quosuis prophanos vsus abutuntur.

Cupientes vt detestabile, ac grauissimum blasphemiæ scelus eradicetur, mandamus omnibus Parochis, vt seuerè in eos inuehantur, qui impuro ore Deum ipsum, aut vnigenitum eius filium Dominum nostrum Iesum Christum eiusuè sanctissimā Genitricē semper Virginem Mariam, vel reliquos

Dei sanctos blasphemare, aut eis maledicere ausi fuerint, deferantq; ad nos qui sępe in hoc delinquere solent, vt in eos ex pręscripto sacrorum Canonum Pontificiarumq; Cõstitutionum, & Prouinc. Concil. animaduertere possimus; Et vt studiosius blasphemantium, ac temerè iurantium vitio occurratur, Parochi curent in Societate nominis Dei quam iuxta Decr. Concil. Prouinc. 2. in Parochiis in quibus magis expedire videbitur instituemus; homines pios, ac diuini nominis zelo incensos describi, qui blasphemantes sedulò redarguant ad pręscriptum etiam litterarum à Pio IIII. & Pio V. editarum, quas his decretis adiungi voluimus. Tit. primo Decr. 3.

Ad nefarios superstitionum vsus qui ab aduersario nostro Diabolo, vt sub specie Religionis nos decipiat, inuenti sunt ab hac Ciuitate, & diœcesi omnino tollendos, omnes curam animarum gerentes qua possunt diligentia studeant quascunq; superstitiones radicitus euellere, & si pręter ea, quæ in particularium ecclesiarũ visitatione sanciuimus aliquod aliud superstitionum genus in hominibus suæ Parochiæ cognouerint id ad nos deferant, vt illi opportune prouidere possimus.

Ne de cętero certis festis diebus grana piperis benedicta populo distribuantur sub ea spe quòd quilibet tot pondera lini in agro suo colliget, quot grana huiusmodi penes se habuerit. Neq; vas illud amplum vino plenum in ecclesia ponatur, vt omnes, qui ad illam confluunt bibere possint, ob scandala quæ exinde oriri compertum est. Breui enim certa forma à nobis præscribetur qua id piè, & iuxtà ritum ecclesiæ fieri poterit.

Cum in Ciuitate, & diœcesi ista inoleuerit abusus pulsandi diuersa instrumenta per vicos, & plateas feria quinta cuiuslibet hebdomadæ mensis Martii circiter horam primam noctis pro effugandis (vt aiunt) lamiis, quod quidem vt plurimum fit à pueris, & quandam gentilitatem sapit. Ideo Parochi ineunte dicto Mense inter Missarum solemnia, vel in vesperis quando frequentior populus adest moneant omnes quàm superstitiosi, & inanes sint strepitus illi, quàmque dedeceat homines christianos talia agere. Seuerè

etiam obiurgent patres, & matres, qui ab eorum filiis hęc perpetrari patiuntur, & doceant quàm satiùs sit ipsos hora illa domi continere, studereq; vt vacent orationi, qua ira Dei summoperè placatur, cum hi præsertim dies in Quadragesimali tempore, quo magis ab eiusmodi corruptelis alieni esse debemus vt sæpius incidere soleant. Curent etiã, vt idem faciant concionatores, cum se obtulerit occasio donec abusus iste sublatus fuerit.

DE SANCTORVM RELIQVIIS.

VT debitus honor sacris sanctorum Reliquiis exhibeatur, quæ de illis panno serico, coloris ex ritu ecclesiæ ipsis conuenienti inuoluendis, ac in Reliquiariis, seu capsulis ornatis loculisq; distinctis occludẽdis, & loco decenti custodiendis, necnon reliqua omnia, quæ de hac re in Conc. Prouin. Primo, & Quarto, ac libello instruct. fabr. eccl. & per nos in visitatione cuiuslibet ecclesiæ decreta sunt diligenter, & accurate intra mensem opere impleantur quod si prę̃stitum non fuerit illas exponere interdictum sit, Rectoresq; aut superiores ecclesiarum in quibus id continget termino octo dierum post dictum mensem certiores nos reddant, cur non paruerint, vt opportunum remedium adhibere possimus sub graui pœna arbitrio nostro iis, qui contrafecerint infligenda.

Par.1.cap. de sanct. rel.

Nemo etiam Regularis, vel exemptus nouas Reliquias euulgare audeat, nisi prius à nobis recognitæ, & approbatæ fuerint ad eiusdem Conc. Prouinc. Quarti præscriptum sub pę na suspensionis.

par. & cap. eisd.

DE SACRIS IMAGINIBVS.

Seß. 25. Decret. de inuoc. san. Par.1.c. de sac. Imag.

CVM iuxtà sacri Concilii Tridentini, & Prouincialis primi Decreta sacræ Imagines ita effingi debeãt, vt animos fidelium ad christianam excitent pietatẽ omnibus, & singulis pictoribus, vel sculptoribus in Ciuitate, & diœcesi nostra commorantibus mandamus, ne audeant aliquas Imagines effingere, vel exprimere, præ-

ter.

ter illas, quæ passim iam ab ecclesia receptæ sunt nisi seruatis regulis in dictis Conciliis præscriptis, & nullo modo in ecclesiis, piisuè locis sine facultate à nobis, vel Vicario Generali si in vrbe, aut foraneo si in diœcesi concessa sub excommunicationis pœna, & alia graniori superioribus ecclesiarum & piorum locorum qui id facere permiserint.

Crucis signum, Imaginesuè sacræ humi sordidoue loco, vel in marmoribus, vbi pedibus conculcari possint, nullo modo pingantur aut sculpantur, & quæ pictæ aut sculptæ sunt omnino tollantur.

Parochi etiam moneant quandoq; fideles, vt in eorum ædibus sacras Imagines honestis locis statuant, turpes verò, atque obscœnas, vel profanas, quæ ad inanem voluptatem alliciunt, aut falsos Deos, vel prauos improbosq; homines representant, amoueant, quod omninò præstent in suis ædibus ecclesiastici ordinis homines.

DE DOCTRINA CHRISTIANA.

CVM necessarium sit Christi fideles pro eorum salute in rudimentis Doctrinæ Christianæ instrui, Parochi omnes in hoc solliciti, ac diligentes sint, singulisq; diebus festis à prandio dato proprio campanæ signo, fideles, pręcipue verò pueros, & puellas ad ecclesiam conuocent, & huiusmodi rudimenta eos doceant, ad pręscriptum libelli eo nomine iussu nostro impressi. Idque omnino pręstent etiam si vnus tantùm ad ecclesiã accedat, sub pœna vnius aurei, quandocunq; illud pretermiserint, qui iã nunc ipsius Doctrinæ Christianę scholę adiudicatur.

Quo autem plus adiumenti in hoc munere exequendo illi habeant, omnes clericalem habitum gestantes, etiam si simplices Clerici sint, Parochum intra cuius Parochię fines habitant, iuxta formam in visitationibus particularium Ecclesiarum per nos præscriptam adiuuent, sub pœna arbitratu nostro pro culpę ratione illi irroganda, qui id præstare neglexerit. Instituant etiam omninò Parochi diœcesani scholas Doctrinæ Christianę, si in aliquibus ecclesiis adhuc institutę non fuerint.

Hor-

Hortentur verò ſępius, prout in concionando vſu venerit om nes tàm mares, quàm fœminas, vt in eiſdem rudimentis perdiſcendis ſi illa ignorant, vel aliis perdocendis diligenter ſe exerceant. Patres autem, & matres familias, vt filios, ac cęteros, quos in familia habent ad ſcholas ipſi conducant, vel mittant, & eos pręcipue, quos in paſcendis beſtiis occupant propoſito. etiam theſauri ſpiritualis munere, quod ii conſequuntur, qui Doctrinę Chriſtianę ſcholas opera ſua adiuuant, prout ex litteris ſummorum Pontificum Pii Quinti, & Gregorii XIII. manifeſte apparet, quas quotannis frequentiori populo Parochi promulgare non omittant pręſcriptis diebus.

Vt autem omnes facilius fidei rudimenta diſcere valeant, & præſertim qui variis negotiis impediti ad ſcholam Doctrinæ Chriſtianę accedere nequeunt, Parochi diœceſis inter Miſſæ ſacrum, vel in Veſperis quando maior populi frequẽtia adeſt habito ſermone, aliiſq; de more pręſtitis iuxta pręſcriptum Conciliorum Prouin. orationem Dominicam, Angelicam Salutationem, Symbolum Apoſtolorum, & Decalogi pręcepta ita alta, & clara voce recitent, vt ab iis, qui in eccleſia ſunt, audiantur, monendo omnes, quod ad aliqua eccleſię ſacramenta ſuſcipienda nec etiam in Baptiſmate, aut Confirmatione vti Compatres admittentur, niſi prędicta nouerint.

DE FESTORVM DIERVM ſanctificatione.

CVRANDVM eſt omni ſolicitudine vt feſti dies ad Dei, & ſanctorum laudes celebrandas, peccatorumq; veniam impetrandam inſtituti à fidelibus ſanctè pièq; vt par eſt, colantur, neq; ſeruilibus operibus violentur. Quare ſacræ Triden. Synodi, Conc.Prouinc. ſummorumq; Pontificum Decretis præcipuè Pii Quinti hac de re editis innixi, Edictum de feſtorum dierum cultu publicè propoſuimus; et vt omnibus faciliùs innoteſcat, in fine huius Synodi imprimi iuſſimus, præcipimuſq; omnibus

Seſſ. 25. c. de inuoc. Sanct.

ad

ad quos ſpectat, vt illud omnino ſeruent, ſub pœnis in eo comminatis,ac grauioribus arbitrio noſtro irrogandis; necnon Parochialium eccleſiarum Rectoribus; vt illud diebus præſcriptis inter Miſſarum ſolemnia populo publicent.

Doceant autem Parochi fideles tempus illud ſacrum, quod Dei cultui dicatum eſt, in diuinis officiis, concionibusq; audiendis, necnon in orationibus, maximisq; ac continuis Dei erga nos beneficiis recolendis ſanctè conſumendum, præſertim vero à prandio non vanitatibus, reliquisq; rebus peccandi occaſionem præbentibus, ſed Doctrinæ Chriſtianæ exercitio vacandum eſſe.

Cum ex ſacri Concilii Trid. ac Prouinc. ſexti Decretis fideles omnes Dominicis, feſtisq; diebus ad Parochiales eccleſias, vt verbum Dei, & ea omnia, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt à proprio Parocho audiant,conuenire debeant: Nos omnes, & ſingulos fideles curæ noſtræ concreditos,eosq; præcipue, qui in diœceſi habitant, monemus,ac per viſcera Ieſu Chriſti obſecramus; vt Dominicis ſaltem diebus id præſtent, ne ignorent qui feſti dies colendi, quæ vigiliæ, & ieiunia ſeruanda ſint, quæ proceſſiones indicantur, Indulgentiarum Iubileorumq; publicationem, quæ item pro ratione temporis admonita iuſſu noſtro promulgentur. Quæ quidem omnia ignorare ſummum dedecus,& nephas eſt. Quòd ſi omnes de familia ad Parochialem eccleſiam accedere non poſſunt, ſaltem patres familias id præſtare non omittant. Vt autem fideles quæ ſint in hoc officii ſui partes melius cognoſcant, & ad huius ſalutaris decreti executionem facilius inducantur Parochi ſaltem bis in anno feſtis diebus inferius præſcriptis inter Miſſarum ſolemnia litteras monitionis de conueniendo ad Parochialem eccleſiam in Concilio Sexto Prouinc. contentas vel earum ſenſum communi ſermone populo explicent.

Seſ.22. Decre. de obſer. in cel. Miſſ.

Tit. de Paroch.

Eod. tit.

Tit. de feſ. die. cul.

Cum Concilio Prouin. tertio caueatur, quòd puellæ nubiles, ac viduæ Miſſæ ſacrificio diebus feſtis interſint, nec excuſentur ob recentem mariti mortem,vel alio cuiuſuis conſuetudinis prætextu, comperuerimusque nõ ſine magno animi noſtri dolore in hac Ciuitate, & diœceſi nonnullas mulieres ſalutis ſuæ immemores corruptelam antiquam ſequi.

Ideo

Ideo vt huic inconuenienti occurramus, præcipimus omnibus Parochis, vt sæpe Parochianorum suorum auribus inculcent puellas, & viduas sub eiusmodi prætextu Missam diebus festis non audientes grauissime peccare, studeantq; omnino abusum hunc tollere. Si vero aliquæ obedire noluerint eas ad nos deferant, vt huic inconuenienti remediũ illud adhibere valeamus, quod pro ipsarum animarum salute nobis expedire videbitur. Insuper hortentur patres familias vt filios, & reliquam familiam, eosq; præcipuè, quos in pascendis bestiis occupant, iisdem diebus Missæ sacrificio interesse procurent.

Parochialis ecclesiæ festo die hortamur illius Parochiæ incolas vt ab omni seruili opere abstineant, & reliqua præstent, quæ Prouincialibus Conciliis, & nostris Edictis sancita sunt ad religiosum festi diei cultum.

Non liceat alicui Parocho in vrbe die festo suæ Parochialis ecclesiæ vlla quauis causa, aut prętextu commessationem, aut refectionem prębere cuiquam sub pœna duorum aureorum locis piis arbitrio nostro applicandorum. In diœcesi autem prandium tantummodo dari liceat iis, qui aliunde euocati sunt, & in eodem loco non habitant, cœnam vero nunquam. In eoq; prandio ne minimum quidem discedatur à regulis de frugali mensa conuentuum menstruorum pręscriptis sub eadem pœna. Pareturq; in ædibus ecclesiasticis, aut in iis, quas ecclesiastici homines habitant. In reliquis verò seruentur, quę in Concilio Prouin. Quarto sancita sunt.

Tit. de Cler. ad dier. fest. celeb. cõu.

DE ECCLESIIS, ET EARVM cultu.

CVM Rectores ecclesiarum illas tamquam sponsas carissimas ornare, ac diligere debeant omni diligentia, & cura eas vndequaq; sartas tectasq; & ab omni sorde ita expurgatas seruent, vt nihil in ipsis appareat, quod intuentium oculos offendere possit.

Parietes ab interiori parte si non picti, at saltem ęquales incrustati,

ftati, & decenter calce liniti fint. Ab exteriori vero ab vrina, aliiſuè cuiuſuis generis ſordibus immunes conſeruentur. Arbores item, vites, hederę, aliæuè eius generis herbæ ab eis, & earum Cœmiteriis cõuellantur intra menſem, ſub graui pœna Rectoribus, aut ſuperioribus ipſarum arbitrio noſtro irroganda.

In ſuperiori parte oſtii maioris eccleſiarum Parochialium piè pingatur, vel ſculpatur Imago Beatæ Mariæ Virginis, & ſancti, ſanctæuè cuius nomine eccleſia nuncupatur intra ſex menſes ad præſcriptum libelli inſtructionum, & Conc. Prouin. Quarti. Et vbi veſtibulum extructum non eſt, extruatur intra ſex menſes, duabus ſaltem ſuffultum columnis, vt Parocho in baptiſmi adminiſtratione vſui ſit, ex viſitationis etiam Apoſtolicæ decreto. Nemo tamen in veſtibulo conſiſtere ad Miſſam audiendam permittatur, qui in eccleſia eſſe poſſit. Tit. de ſacr. loc. & cor. cul.

Feneſtræ omnes cuiuſcunq; eccleſiæ retibus ferreis, aut vbi præ inopia non poteſt, ſaltem funeis ceratis quattuor menſium ſpatio muniantur ad prohibendos nidos, & frequentes auium volatus; qui certe ſine diuinorum officiorum perturbatione eſſe non poſſunt. Hiberno verò tempore tela ſemper ſint obductæ, ſi ob inopiam vitro obduci non poſſunt.

Quæ de altaribus aptandis, reſarciendis, ac ſuppellectili ad eorum cultum, & ornatum neceſſaria comparanda in decretis viſitationis Apoſtolicæ, & noſtræ ſancita ſunt duorũ menſium ſpatio præſtentur, quo termino elapſo ſi præſtita non fuerint ad illa celebrari ſit interdictum, & niſi intra alium menſem ad præſcriptam formam inſtructa, & aptata fuerint diruantur, aliàs eccleſia interdicta cenſeatur.

Altaria quæ menſam marmoream habere non poſſunt, habeãt omninò menſam ligneam ſuperpoſitam aſcia expolitam, in qua lapis ſacer longitudinis ſaltem vnciarum decem, latitudinis vero vnciarum octo ita inſeratur, vt ab illa extet quantum à celebrante tactu cognoſci poſſit, diſtetq; ab altaris fronte vnciis duabus, vel ad ſummum tribus, & eius longitudo à fronte in poſteriorem partem ſpectet.

Mappę inferiores totam altaris menſam cooperiant, ſuperio-

tes verò à lateribus ad bradellam vſque pertingant, neque bombacio cerulei, aut alterius coloris elaboratę ſint.

Vbi fornix altare, & ſacerdotem celebrantem minime tegit, vel ab altari ita diſtat, vt commode purgari nequeat, ponatur tegmen è ſerico, vel ſaltem ex tabulis, aut tela decenter picta ita amplum, quòd vtrumq; contegat intra ſex menſes, quibus elapſis ad illud celebrari interdictum ſit.

Altaria, quę in viſitatione particularium eccleſiarum amoueri iuſſum eſt, intra quindecim dies amoueantur, quo ſpatio tranſacto ſi amota non fuerint in ea eccleſia ſacrum facere ſine noſtra licentia ſit interdictum, ex pręſcripto etiam viſitationis Apoſtolicę: oneraq; emolumenta, ac tituli eorum ad alia commodiora transferantur, & interim illis in Altari maiori ſatisfiat. Si quæ vero noua in poſterum ædificanda erunt, quod quidem ſine noſtra facultate fieri non licet, ad rationem in eadem viſitatione, & Concil. Prouin. Quarto præſcriptam extruantur, ornentur, & inſtruantur. Nec alicui ea ædificandi poteſtas regulariter fiet, niſi prouentum aſſignet, qui ad altarium ſuppellectilem comparandam ſatis ſit vel ſaltem de ea paranda publico caueat inſtrumento, quod in Archiuio Epiſcopali aſſeruetur, ac præterea competentem dotem pro Miſſarum celebratione attribuat.

Tit. de Capel. & Altar.

Sumptus in accommodandis, ornandis, & inſtruendis Altaribus fiant ab iis, de quibus ſit mentio in eiſdem viſitatione, ac Conc. Quarto Prouin. ſub pœnis in ipſis contentis, & ſi in vno altari, vel capella plures tituli reperiantur ſumptus fiant pro rata prouentuum.

Tit. eod.

Ne altarium iura, & onera, ac piarum voluntatum monumenta, vt quandoque euenit facilè extinguantur, Rectores, ſuperioreſuè quarumcunque eccleſiarum huius Ciuitatis, & diœceſis, tabellam intra ſex menſes in ſacriſtia affigant, in qua altarium omnium quę in eorum eccleſiis ſunt tituli, iura, emolumenta, officia, anniuerſaria, aut commemorationes pro defunctis translationes, mutationes ſi quę ſunt, dies item, quibus ſingula pręſtari debent recto ordine ſigillatim deſcriptę ſint; eiuſq; tabellæ exemplar tradant in Archiuio Epiſcopali aſſeruandum ſub pœna nobis arbitraria.

Quibus

Quibus in ecclesiis cubicula cęnacula, aliauè eiusmodi loca superiori parte sunt, in quibus habitetur, aut aliquid aliud profani fiat ab iis omnibus profanus vsus spatio duorum mẽsium remoueatur, eaq; loca arbitrio nostro vel tollentur, vel sacro vsui destinabuntur. Omnino autem Missę sacrificium bimestris spatio elapso in ea parte fieri interdictũ sit, qua eiusmodi ędificia superiora pendent, donec ille vsus profanus exclusus sit. Tecta item, ac superiora ecclesiarum, seu oratoriorum loca paleis, fęnis, lignis, aut aliis pro profanis rebus non onerentur, alioquin Missa ibi non celebretur.

In ecclesiis insignibus pręter sacrarium fonti baptismali adiunctum, alterum etiam pro aliis vsibus extruatur in capella maiori, nisi impedimentum afferat, vel in alia parte Sacristię propinquiori à populi tamen conspectu remota, aut in ipsa Sacristia, eoq; nomine fenestella in pariete ędificari poterit à pauimento circiter cubitos duos eleuata, atq; ita accõmodata, vt ablutiones sacrę inibi cõmodè recipi possint. Vbicunque autem sit, pessulo, sera, & claue tutò muniatur.

Vas aquę benedictę in iis ecclesiis in quibus adhuc non est, intra tres menses habeatur è marmore, seu è solido lapide, base, & columella suffultum, quod intra ecclesiam à dextris ingredientium à pariete disiunctum apte collocetur.

Curetur omni diligentia, vt antiquus ac probatissimus mos sepeliendi corpora defunctorum in Cœmeteriis in vsum reuocetur; Sepulchra autem omnia, quæ in ecclesiis sunt accommodentur ad formam in illarum visitatione per nos pręscriptam, & quę intra duos menses ab horum decretorum editione aptata non fuerint, humo oppleantur adęquato solo, nemoq; in eis sepeliatur, sub pœna suspensionis Parochis, & aliis ecclesiarum superioribus. Non permittant etiam aliqua sepulchra in ecclesia construi sine nostra facultate in scriptis obtenta sub eadem pœna.

Sacristia in vnaquaque ecclesia vbi Missa celebratur, si nõdum extructa sit, extruatur loco quo fieri potest decentiori, & cõmodiori; cuius fenestræ clathratæ sint, ac pręter valuas, vitro etiam, vel tela claudantur, & sereno cœlo sæpe pateant, termino sex mensium.

Sint in ea oratorium, orationes, quæ Missæ præparatoriæ dicuntur, & quæ vnicuique indumento sunt accommodatæ. Lauatorium, propeq; appensum mundum manutergium ad abluendas, & abstergendas manus ante, & post Missam. Armarium cum capsulis ductilibus pro asseruandis paramẽtis distinctè pro coloris, & pretii varietate, appositis cuiq; colori, rei, seu generi propriis schedulis. Quę quidem armaria omnino quattuor mensium spatio conficiantur, etiã si nulla adsit Sacristia, & tàm ipsa, quàm omnis sacra suppellex in priuatis ędibus etiam Rectorum ecclesiarum nullo modo asseruentur sine facultate scripta à nobis impetrata, & tunc loco à domestico vsu separato collocentur.

Cum in libello instruct. fabr. eccles. pręscripta sint vestimenta, & ornamenta, ac omnis sacra suppellex, quę tàm in Cathedrali, quàm Collegiata, cæterisq; ecclesiis haberi debent, ac etiam in visitatione cuiuslibet ecclesię ordinauerimus comparari debere paramenta, & cętera, quę tunc temporis necessaria visa fuere: ideo eadem hic recensere superuacaneum est; præcipimus tamen omnibus quorum interest, vt quæ iam ordinata sunt temporibus præscriptis exequantur, & quæ desunt prouideant. Animaduertatur etiam, vt nunquam casula, pallium, stola, manipulus, vel quoduis aliud indumentum integri paramenti adhibeatur, nisi totum ipsum paramentum adhibendum sit, ne aliud indumentum alio magis conteratur, quod deformitatem postea efficiat: ob idq; in qualibet ecclesia Parochiali habeantur intra mensem saltem duæ stolæ colorum albi, & violacei adhibendæ in sacramentorum administratione, & si plures sacerdotes eodem tempore illa ministrare solent, binæ pro quolibet comparentur, nec illis in Missæ celebratione vti liceat.

Scabellis ligneis pro sustinendis Missalibus in Altari de cætero vti sit interdictum, habeanturq; puluinaria colorum, quibus pro ratione temporis vtitur ecclesia, & quæ huic vsui addicta sunt, ad commoditatem genuflectentium nullo modo adhibeantur, prout passim fieri comperuimus; neq; pallia ad sedis Episcopalis, vel suggesti ornatum, nec minùs aliqua vasa, ornamenta, aut indumenta sacris addicta

 pro-

profanis hominibus, aut vsibus inseruiant sub pœna nobis arbitraria.

Sacræ vestes nempè casulæ, tunicellæ, pluuialia, albæ, amictus, tobaleæ, & cætera Missæ, vel altarium vsui addicta frequenter inspiciantur, & quæ corrumpi, frangi, aut dissui incipiunt, tempestiue sarciantur. Quæ vero politè resarciri non poterunt, in alios ecclesiæ vsus conuertantur, vel comburantur, & cineres in sacrarium proiiciantur alias eorum vsus interdictus sit.

Quæ de sedilibus priuatis singulorum hominum ab ecclesiis etiam Regularium tollendis, & præterea de communibus conficiendis Conc. 4. Prouinc. & visitatione Apostolica ac nostra sancita sunt, omnino seruentur sub pœna interdicti ecclesiæ. Tit. de orna. & nit. sacr. loc.

Laici diuinorum officiorum tempore chorum, & sacristiam non ingrediantur, illaq; loca sacerdotibus, & ministris mysteriorum Dei libera relinquant, sub graui pœna Rectoribus, seu ministris, qui laicos in ea admiserint, vel inde non eiecerint. Permittimus tamen vt Rectores diœcesani possint in chorum admittere illos laicos, quos necessarios habuerint ad vesperas, ac alia officia canenda, & non alio modo. Fœminis autem nullo vnquàm tempore chorum, aut sacristiam ingredi liceat sub pœna suspensionis sacerdoti clericoue, qui illas introduxerit, aut admiserit, permiseritue. Ipsis vero fœminis interdicti si monitæ statim non recesserint.

Cœmeteria omnia ad tempus in visitatione constitutum, vel vbi constitutum non est, intra sex menses circumuallentur, vt bestiis in illa omnino aditus præcludatur. Crux quoque præalta firmiter in eorum medio intra mensem erecta sit.

Quamuis Conc. Prouinc. Quarto ac decretis visitationis Apostolicæ, & nostræ caueatur expresse, ne in Cœmeteriis aliquid profani agatur, præsertimq; ne panni linei soli ibidē exponantur, ecclesiæue foribus res venales appendantur aut arma admoueantur, & multa alia prohibeantur à sacrorum locorum sanctitate aliena. Quia tamen in hoc passim peccatur: ideo Parochi, & Rectores ecclesiarum omnem diligentiam adhibeant, vt quæ in Concilio ac visitationibus Titulo de prof. vsu à sacris loc. toll. Tit. eod.

bus

bus prædictis sancita sunt omnino obseruentur. Sciantq; quòd si in hoc negligentes fuerint graues pœnas arbitratu nostro dabunt.

Capsulę ad colligendas eleemosinas in ecclesiis sine scripta nostra facultate non retineantur. Retinendæ autem duplici claue claudantur, quarum alteram is custodiat, quem nos delegerimus, eæ vero nunquam sint super altari, neq; prope altaria aut confessionalia, vel sacras reliquias.

Immunitas ecclesiarum illęsa omnino conseruetur iuxtà tenorem litterarum Sanctissimi D. N. Gregorii XIIII. quas, vt earum plenior notitia ab omnibus habeatur his decretis adiungi voluimus. Ne tamen facinorosi homines ecclesiarum immunitate ad delinquendi licentiam, & sacrorum locorum, ministrorumq; perturbationem abutantur, quod sępe cum magna insolentia, & offensione euenire compertum est; omnibus ecclesiasticis personis sub pœna excommunicationis pręcipimus, ne aliquem exulem damnatum, aut criminosum è loco vbi libere consistere possit venientem in eorum ecclesiis cœmeteriis, vel domibus recipiant sine facultate nostra in scriptis concessa. Quod si accidat huiusmodi homines ad sacra loca magna necessitate, instantiuè periculo compulsos venire, sub eadem pœna illis ad quos spectat mandamus, vt nos quamprimum de ea re certiores faciant, vt prouiso ne ecclesiastica immunitas violetur, habitaq; ratione personarum, locorum, temporis, & facti id decernere possimus quod eiusdem Sanctissimi D. N. menti magis consentaneum esse iudicabimus ad Conc. Primi Prouinc. præscriptum.

Titulo de eccl. cult.

Titulo de orat.

Quæ Conciliis Prouincialibus præsertim Quarto ac libello instructionum de oratoriis in quibus non celebratur, statuta sunt omnino executioni mandentur, sub pœnis in eis cominatis, & grauioribus arbitratu nostro irrogandis.

Ecclesiasticę omnes ędes, quę instauratione indigent, instaurentur, & accommodentur: & si beneficii vel ecclesię sint, quę personalem residentiam requirant, is, qui residere debet, eas incolat, ibiq; cibum, & somnum capiat, nec earũ pars laicis locetur, nisi commodè iudicio nostro diuidi possit, & ecclesia magna pręmatur inopia. In ędibus autem

Cano-

canonicalibus ne consanguineæ quidem fœminæ sine licentia nostra commorentur, neque laicis vllo modo locentur, & earum claustra aperta nunquam permaneant, sed singuli Canonici, & alii Clerici in eis habitantes clauem habeant vt possint egredi, & ingredi, quamuis eadem loca clausa remaneant.

DE PIA IN ECCLESIIS versandi ratione.

CVM ecclesiam, quæ domus Dei est, deceat sanctitudo, neque profanis actionibus violanda sit earum Rectores omni ope nitantur, vt quæ de modestia, & reuerentia in ecclesiis seruanda Gregorius Decimus in Concilio Lugdunensi, & Pius Quintus summi Pontifices, necnon Concilium Tridentinum & Prouincialia grauiter sanxerunt, diligenter obseruentur. Quod vt melius perficiatur, capita aliquot Pontificiarum sanctionum, & Conciliorum in fine horum decretorum vulgari sermone expressa imprimi curauimus, atque ab omnibus quocunque gradu, ordine, & conditione præditis plenè seruari mandamus sub interdicti ab ingressu ecclesiæ, ac aliis in dictis Constitutionibus, Conciliorumq; decretis contentis pœnis. Præcipimus insuper singulis Parochis, vt hanc nostram Constitutionem, & capita illa communi sermone explicata singulis annis prima Dominica Aduentus, & Quadragesimæ promulgent.

Sess. 22. decr. de obser. in cel. Miss.

Monemus autem, & hortamur Regulares, vt idem in eorum ecclesiis seruari curent, certas personas constituentes, quæ contrafacientes ab eis expellant, & accuratè exequantur, quæ in dictis litteris Pii Quinti in virtute sanctæ obedientiæ eis præcipiuntur.

DE SACRAMENTIS, ET SACRAMENTALIBUS GENERATIM.

IN sacramentorum administratione adhibeatur semper superpelliceum mundum, & stola eius coloris, quem ritus ecclesiæ in sacramento quod ministratur requirit; explicetur etiam eorum vis, & efficacia ex Cathechismi Romani doctrina præsertim pluribus adstantibus, si commodè fieri potest, vt fidelium mentes ad ea percipienda, & & frequentanda, qua par est deuotione accendantur.

Tam in eis administrandis, quàm in aliis functionibus ecclesiasticis; & præsertim funeribus ne transuersum quidem vnguem à rituali Brixiensi discedatur, donec Rituale Romanum in lucem prodierit sub suspensionis pœna.

Vt omnis sordidæ auaritiæ suspicio tollatur, caueant Parochi, cæteriq; sacerdotes, ne pro illorum administratione quicquam vel minimum, nec etiam tacitè aut nutu petant, sed quæ gratis accepta sunt, gratis ministrentur.

Illi solummodo admittantur ad sacramenta recipienda, ac etiã velut patrini, qui modesto habitu, ac composito corporis gestu debitam venerationem eis deferre cognoscuntur, & rudimenta fidei christianæ videlicet orationem dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, & decem præcepta recitare sciuerint.

Si Anno nondùm transacto sacra olea in vasculis defecerint, & aliunde haberi commodè nequiuerint, aliquantulum olei nondùm sacrati cum sacrato misceatur, ea tamen adhibita cautione, vt quod infusum est minus sit oleo sacrato. Olea vero vetera, quæ supersunt anno expleto comburantur in lampade, quæ ante sanctissimum Sacramentum collucet, bombacio in sacrario exusto. Eis autem Parochis vti sit interdictum.

Tabernaculum ligneum in quo sanctissima Euchareſtia asseruatur, benedicatur ad præscriptum libri Pontificalis antequam illa in eo reponatur.

Nullus sacerdos tam secularis, quam regularis super energumenos Dæmones eiiciendi gratia manus imponere audeat

ſine ſcripta noſtra facultate ſub pœna ſuſpenſionis. Reliqua etiam de hac re in Concilio Quarto Prouinc. conſtituta ad vnguem obſeruentur. Titulo de ſac r. gen.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

IN eccleſiis in quibus fontes baptiſmales quattuor menſiũ ſpatio à decretorum horum editione ad formam in viſitatione cuiuslibet eccleſiæ per nos traditam conſtituti non erunt, nullo modo baptizetur ſub pœna ſuſpenſionis Parocho, ſed ad viciniorem eccleſiam in qua fons adſit ad formam infantes ad baptizandum deferantur.

Ritus baptizandi per aquæ infuſionem, qui in Cathedrali eccleſia ſeruatur, ab omnibus aliis inferioribus etiam retineatur. Aqua autem ſuper caput infantis non infudatur manu, aut ſcutula vitrea, vel fictili, ſed cocleari ſtamneo, vel argenteo ad formam inſtructionum.

Vaſcula ſacrorum oleorum, aliæq; res pro baptiſmo miniſtrando neceſſariæ in baptiſterii ciborio aptè collocentur. In vaſculo autem ſalis illud ſemper aſſeruetur, & ſępius mutetur, ne humidius quàm par eſt reddatur, & nunquam adhibeatur ſal ab obſtetricibus delatum.

Cum ſabbato ſancto ad accipiendum aquam baptiſmalem Parochi veniunt, vas ſtamneum pro hoc vſu habeant, non autem vitreum.

Nomina infantum, & patrinorum in libro ad formam inferius traditam omnino deſcribantur. Et ſi domi ob neceſſitatem baptizentur, notetur pariter nomen patrini, qui deinde in eccleſia ad Cathechiſmum, & Exorciſmum adhibetur. Grauiter enim in eos, qui contrauenerint animaduertemus.

Non liceat alicui clerico, qui ſacro ordine initiatus ſit, ſine noſtra licentia, niſi neceſſitas aliud ſuaſerit, infantem de ſacro fonte ſuſcipere; nec in Confirmationis Sacramento Compatris munere fungi.

Caueant Parochi, ne mulieres aliquæ obſtetricis officio fungantur, niſi formam baptiſmi recitare ſciant, ad idq; probatæ fuerint ſcripto ſubſignato in vrbe per deputandum à no-

bis, in diœcesi vero per Vicarium foraneum, sub pœna interdicti, ac alia grauiori arbitrio nostro irroganda omnibus, quæ non paruerint postquam monitæ fuerint.

DE SACRAMENTO Confirmationis.

Titulo de sacramen. confir.

PAROCHI ad præscriptum Conciliorum Prouincialium præsertim Quarti & Quinti populum doceant, quanto religionis studio hoc sacramentum à Christifidelibus suscipiendum sit, maximeq; videãt, ne quis eorum qui curæ suæ commissi sunt, illud suscipere negligat, & quæcunq; ad illud rectè, sanctéq; suscipiendum pertinentia in nostris instructionibus expressa sunt, ante tempus administrationis diligenter populum præmoneant.

Parochi in quorum ecclesia Sacramentum hoc ministrandum erit, habeant librum certum, in quo diligenter ad formam inferius præscriptam scribantur nomina singulorum, qui confirmantur, & qui suscipiunt, vt de cognationis spiritualis, quæ in Confirmatione æque ac in Baptismo contrahitur, impedimentis, constare perpetuò possit.

DE SANCTISSIMO SACRAmento Euchareſtiæ.

IN visitatione nostræ diœcesis illud in primis curauimus, vt sanctissimi Sacramenti societas in omnibus Parochialibus ecclesiis erigeretur, sed quoniam nonnullos in hoc negligentes fuisse animaduertimus: ideo præcipimus, & mandamns omnibus Parochis diœcesanis, in quorum ecclesiis ipsa societas nondum instituta est, vt duobus post huius synodi promulgationem mensibus, eam legitime institui, atque erigi curent sub pœna arbitrio nostro illis infligenda, qui negligentes fuerint. Proinde fideles sibi commissos sæpe hortentur, vt huic societati se ascribi procurẽt.

Quò

Quò autem vehementius vniuersi ad id incitentur, thesaurum amplissimum indulgentiarum, quas Gregorius XIII. fœl. record. Prouinciæ Mediolani benignè largitus est, diebus infra annotatis populo enuncient.

Quicunq; vero huic Societati ascripti fuerint, sciant ad eos potissimum spectare onus prouidendi omnia, quæ ad cultum, & ornatum ipsius sanctissimi Sacramenti pertinent. Regulam etiam iussu nostro propediem edendam obseruent, singuliq; illam apud se habeant, vt sæpius videre possint, quæ sint eorum partes.

Ex Confratribus in societate descriptis aliquis singulo anno eligatur, cuius cura sit, cum Eucharistia ad ægrotos defertur, prouidere, vt cubiculum sit ab omni sorde, & inquinamento purgatum, ac sacris ornatum imaginibus, in eoq; ad sit mensa, mappa candida constrata. Crux item, aut alia sacra effigies ac candelabra, cum duabus saltem candelis accensis. Quodq; vas vitreum ad ablutionis vsum, & pannus lineus ante pectus infirmi extendendus paretur Confratres vero omnes, qui legitime impediti non fuerint sacram Eucharistiam accensis candelis prosequantur; conuocenturq; non solum ipsi, sed etiam alii Christifideles certis campanę ictibus, antequam deferatur. Quinimò Parochi moneant omnes patres familias, vt candelam ad vsum sacræ Eucharistiæ comitandæ paratam habeant, ad formam Concilii sexti Prouincialis. Tit. quæ ad Euch a. pert.

Sacerdos dum Sacramentum defert, Psalmum Miserere, & alios Pœnitentiales recitet, clerico, vel aliis, qui respondere nouerint alternatim respondentibus, indutusq; sit superpelliceo, stola alba, & vbi fieri potest, pluuiali, ac velo serico oblongo, quo pixis, & humeri sacerdotis honorificè contegantur. Habeat secum clericum superpelliceo pariter indutum, qui scitulam cum aqua benedicta, & aspergillum, ac bursam cum corporali deferat, adhibita etiam semper vmbella maiori nisi ad loca remota, aut per vias difficiles eundum sit; Tunc enim vmbellam minorem vnico sustentatam hastili vsui esse volumus, & ita reflexo, vt cum ab aliquo post sacerdotem incedentem defertur, illius caput, ac sacramentum contegat. & eo casu pixis in qua sacra Eu-

charistia defertur sacculo serico cordulis oblongis collo appenso gestetur.

Duæ particulæ semper deferantur, quarum vna ægroto ministretur, & cum altera eodem modo sacerdos ad ecclesiam redeat, cum eaq; ad altare maius se sistat, & omnes qui adsunt piè hortetur, vt religiosum sanctissimi sacramenti associandi vsum semper retineant, tùm denunciata eis indulgentia quam fuerint consecuti, atque oratione de sacramento recitata, illis benedicat manibus tenens pixidem cum sacramento, ac eos in pace dimittat. At si locus distans fuerit, vel accessu difficilis, aut noctu eundum sit, vel insimul ob instans periculum mortis extremæ vnctionis sacramentum infirmo ministrandum sit; tunc vna tantum particula deferatur; & tunc postquam sacerdos illam ministrauerit, exuat stolam, & superpelliceum, luminibusq; extinctis, ac vmbella deposita, & occultata pixide, ad ecclesiam reuertatur.

Cum etiam aliquos in sua Parochia in morbum incidisse Parochi cognouerint, statim eos inuisant, hortenturq;, vt pœnitentiæ sacramento à peccatis suis purgati sacram Eucharistiam religiosè sumant. Inuigilent autem ne aliquis vnquã sine hoc sacramento salutari decedat.

In vnaquaque Parochiali ecclesia adsit tabernaculum ligneum quantum per facultates licebit ornatissimum, in eoq; nihil aliud prorsus sit quam pixis, in qua sacramentum asseruatur, & ante illud è regione non autem à lateribus semper colluceat lampas oleo tantum oliuarum nutrienda.

Habeatur etiam tabernaculum ostensorium ad formam in decretis singularum ecclesiarum præscriptam, & omnia tabernacula, quæ duorum mensium spatio ad illam rationem nõ fuerint accommodata interdicuntur, in eisq; sacra Hostia exponi prohibetur.

Adsint quoque due pixides, altera maior pro asseruando sanctissimo Sacramento, altera vero minor pro eo deferendo ad infirmos, habeantq; saltem cuppam argenteam intus inauratam. Pixis autem maior tot particulas commodè capiat, quot sunt animæ, quæ in die Paschatis solent communicare, & si excedant numerum octingentarum, habean-

tur

tur duæ pixides ad hunc dumtaxat vſum: nec vnquam pauciores particulæ quam quinque in earum altera retineatur, renouenturq; ſaltem octauo quoq; die. Hoſtia vero magna ibidem nunquam aſſeruetur, niſi quando exponenda, vel in proceſſione deferenda erit. Et ſemper pixis maior velo pretioſo auro contexto in Tabernaculo tegatur.

Ad vſum communionis populi non frangantur Hoſtiæ magnę etiam ante conſecrationem niſi ob vrgentem neceſſitatem, ſed orbiculatæ particulæ adhibeantur. Perſoniſq; eccleſiaſticis ad altare, vel in choro præbeatur communio; laicis vero in loco ab altari choroue remotiori præſertim Paſchatis, & communionis generalis tempore, ſeorſumq; fœminis à maribus, ſi commodè fieri poteſt; pannus autem lineus prius ante omnes extendatur: et ſi ſacerdos ſtatim poſt peractum Miſſæ ſacrum id facere velit, deponat tantum caſulam, & manipulum; alio vero tempore ſuperpelliceo, & ſtola albi coloris indutus ſit.

Habeatur in vnaquaq; eccleſia parochiali vaſcula duo ex vitro ad vſum præbendæ purificationis, quæ à forma domeſtica ciathi differant, nec ad alium vſum adhibeantur, in ſacriſtiaq; cuſtodiantur. Adſint etiam mantilia pro abſtergendo ore eorum, qui purifficationem ſumpſerunt.

Tempore communionis generalis adhibeantur ſcabella oblonga, & mappæ, non tamen altarium, ſuper eis extendantur. Ad euitanda vero pericula, quæ perſæpe euenire poſſunt; ſemper præcedat ſacerdotem clericus, qui recipiat candelas accenſas de manibus illas retinentium, & extinguat priuſquam eis communio præbeatur.

Eodem tempore nulla peluicula, vel vaſculum ad eleemoſynas recipiendas proferatur ſub pœna vnius aurei à Parocho perſoluenda, qui ex nunc ſocietati ſanctiſſimi Sacramenti applicatur.

Non admittantur ad communionem mulieres indecenter ornatæ, & quę non habeant caput velo decenti obtectum, nec manifeſti fœneratores, blaſphemi, concubinarii, & ſimiles publici peccatores, niſi prius verę pœnitentię aliquod non fictum dederint inditium. Decretum etiam Concilii ſexti Prouinc. de reiiciendis à ſacra communione iis, qui pec- Tit. q̄ ad pęn. pert.

peccandi occasiones publicas non præcidunt, quamuis con fessionis testimonium à confessario afferant, ad vnguem obseruetur.

Sess. 22. c. 6. de sacra. Miss.

Parochi crebro hortentur fideles curæ suæ commissos, auctoritate sacri Concilii Tridentini, vt sanctissimum Christi corpus frequenter sumant, cum nihil esse possit vel ad salutem æternam comparandam fructuosius, vel ad deprauatos mores corrigendos efficacius. Si quis vero salutis suæ immemor Paschatis tempore communionem non sumpserit, eius nomen infra octo dies post eius octauam ad nos vel ad Vicarium nostrum deferant, expositis etiam causis, si modo eas extra confessionem cognouerint. Vnusquisque vero Parochus decimo quinto die post eandem octauam intra Parochialem Missam vna pro trina monitione generatim omnes accurate moneat, vt qui præcepto ecclesiæ hac in re nondũ satisfecerint, saltem in hebdomadam sequentem confessi sacram Eucharistiam sumant, quo tempore peracto statim (nisi aliqua de causa nos aliter in quibusdam disposuerimus) primo die festo nominatim omnes qui non communicarint, ingressũ ecclesiæ & ecclesiastica sepultura si illos interim obire contingat, interdictos denunciet. Quod si ex graui, & vrgentissima causa longius tempus cuipiam constituendum iudicauerit, id nobis significet, vt maturè, & salutariter de eo deliberare queamus.

Vt autem Parochi certius sciant, an omnes suæ curæ commissi in Paschate communicauerint, neminem ad sacram communionem tunc temporis admittant, qui pro ea suscipienda chirographum nominis sui, & cognominis, ac habitationis clerico, vel alio ministro præeunti nõ exhibuerit, hocq; decretum quandoque in Quadragesima, & præcipue die dominico palmarum populo enuncient.

Qui Paschæ tempore abfuerit, nisi reuersus fidem afferat sacerdotis, qui eum communicauerit, subscriptam etiam manu ordinarii confiteatur denuo, & sumat Eucharistiam in propria Parochiali, alioquin contra eum, prout si non communicasset procedetur.

Laici Monasteriis Regularium inseruientes in Paschate in Parochiali ecclesia communionem sumant, nullusq; sacerdos

etiam

etiam regularis aliquem scienter sine proprii Parochi licentia tunc communicet, ex Concilii Prouincialis Quinti decreto. Titul. quę ad Eucha. pert.

In vnaquaque Parochiali ecclesia vbi societas sanctissimi Sacramenti erecta est, tertia quaque Dominica cuiuslibet mensis, si commodè Vicarii foranei iudicio fieri poterit processio eiusdem sanctissimi Sacramenti, & omnino in Missa illius commemoratio agatur.

Qui dignitates, vel Canonicatus in Cathedrali, vel Collegiata ecclesia obtinent, necnon sacerdotes, & clerici omnes eisdem ecclesiis quomodolibet inseruientes feria quinta in Cęna Domini in solemni Missa Eucharistiam sumant, illis exceptis, qui in alia ecclesia eodem die Missæ sacrum sunt facturi, sub pœna nobis arbitraria.

Hostia consecrata, quæ eodem die asseruatur, vt in Parasceue à Sacerdote celebrante sumatur, non recondatur in tabernaculo ostensorio, vel alio vase; sed in Calice, vt Dominici Sepulchri, quod significatur typus apertius ostendatur. In eodem verò loco reponatur pixis cum particulis, quæ in tabernaculo ligneo custodiri solet ad præscriptum Missalis.

Ad asseruandas hostias, vasa argentea, vel ossea habeantur, Si vero lignea sint panno serico intùs decore omnino ornentur, adhibeaturq; integumentum plumbeum panno serico, vel lineo obuolutum ad illas comprimendas.

DE ORATIONE QVADRAGINTA Horarum.

SANCTISSIMA Eucharistia nisi ex graui causa, & in Ciuitate cũ nostra, in diœcesi verò cum Vicarii foranei licentia in quauis ecclesia non exponatur, seruenturq; semper Regulæ in Conciliis Prouincialibus præsertim Quarto præscriptæ. Cum autem exponenda est in altari maiori decenter ornato collocetur, ad illudq; Missæ sacrum non fiat, nisi fuerit ecclesia Monialium, in qua tunc vna tãtum Missa celebrari poterit. Ne plures autem quàm decem candelæ accensæ, neque pauciores, quàm sex singulę ad minimum Titul. quę ad Eucha. pert.

nimum vnciatum quattuor super altari adhibeantur. Lampades vero sex, vel ad summum tresdecim non super altari, sed circa ipsum collocatæ luceant, nisi nos maiorem numerum luminum ob causam concesserimus.

Ad illius custodiam clerici duo supetpelliceo induti, & capite aperto interdiù assistant, quorum alter saltem sit Diaconus, noctu verò ad minus vnus ordine sacro initiatus sub pœna suspensionis superiori ecclesiæ.

Si nocturno tempore oratio celebratur, ecclesiæ ostia clausa sint, aperiantur tamen singulis ad orandum accedentibus, præterquam fœminis, quæ interdiu tantum accedant, sintq; velato capite, & separatæ à maribus orent, si commode fieri potest. Eo autem tempore in ecclesiis monialium nemo prorsus ad orandum admittatur, sed sacramentum in tabernaculo recondatur, & moniales in interiori ecclesia per statas horas in oratione vigilent, posteaq; lucis orto sydere iterum è tabernaculo efferatur & super altari ad adorandum statuatur.

Tempore eiusmodi orationis peluiculæ, aut cuiusuis generis vasa, capsulęuè pro colligenda eleemosyna sine nostra scripta facultate nullo modo proponantur.

Moneatur autem populus orationem quadraginta horarum ex causa non tam graui instituí posse non exposito tamen sanctissimo Sacramento, & tunc solemnitates, quas in eius expositione seruare iussum est ommitti poterunt.

QVÆ AD MISSÆ SACRIFICIVM pertinent.

SACERDOTES celebraturi antequam ad altare accedant omnes conscientiæ suę latebras diligenter excutiant, ne fortè peccati mortalis rei iuditium sibi manducent, & bibant. Tum primæ officio, vel saltem matutino cum laudibus persoluto, si forte ex necessitate primę preces recitare non potuerint, in oratorium, quod in vnaquaque sacristia construi debet, se recipiant, & flexis genibus deuote pronuncient aliquam ex orationibus, quę an-

* Videatur de hac re Natalis Alexander in Theologia Dogmatica et morali Lib. 2. De Sacro Eucharistiae Cap. VI. De Sacrificio missae Art. IV. num. V. ubi nonnulla Synodor. statuta adnotat et refert sententiam S. Antonini 3. p. Tit. 13. cap. 6. dicentis Sacerdotem peccare mortaliter qui contra ...

te Missam recitandę in Missali annotatę sunt, totamq; Missam, aut saltem, quę in dies mutantur perlegant, ne cum in altari fuerint, hęreant, vel in iis quęritandis occupentur. Postmodum manus abluant, & in sacristia sacras vestes induant, pręscriptam vnicuique indumento dum illa induunt orationem, ac preces recitantes. Cumq; sacris vestibus induti fuerint, non deambulent per sacristiam, neque ad aliquos circulos conueniant, nec minus vllis collocutionibus vacent.

E sacristia compositi, & moderato incessu egrediantur, nemimemq; prorsus in via salutent, minus autem colloquantur, vel cuipiam respondeant, sacrę cruci tecto capite profundius se inclinent. Sanctissimo autem Sacramento genua flectant: & si extra tabernaculum erit, caput etiam detegant, ad pręscriptum rubricarum Missalis.

In altari neque biretum, neque subbiretum, nec aliquid omnino ponant, pręter ea, quę ad sacrificii ministerium necessaria sunt.

Caueant autem ne Missas celebrent quasi ex consuetudine, & festinanter, sed magna cum attentione, & deuotione, sedatè, ac tranquillè, vt spiritualem, ac diuinam rem agi omnes cognoscant, & quę ita pronuncianda sunt, vt à circunstantibus audiantur, ritè, & rectè, non autem syncopatè, claraq; ac distincta voce pronunciare studeant, fugientes properam illam, atq; indeuotam celeritatem. In iis autem quę secretò dicenda sunt illam adhibeant cautionem, vt se ipsos verba proferentes intelligant, neque à circumstantibus audiantur.

Studeant accuratè vti statis illis cæremoniis, & ritibus, qui Missalis noui Romani initio præscripti sunt. Vtq; vsu recipiantur, hoc decreto edicimus, ne deinceps sacerdos aliquis ad celebrandum in quauis ecclesia iurisdictioni nostræ subiecta admittatur, nisi prius licentiam celebrandi ostenderit à nobis, vel nostro Vicario Generali obsignatam, sub pœna suspensionis Rectoribus, & Sacristis ecclesiarum si aliter fieri permiserint; In iis vero cæremoniis, & ritibus peragendis adeo aptè, decorè, & moderatè se gerant, vt qui adsunt, ex sacris illis actionibus diuini sacrificii sanctitatem

magis agnoſcant, atq; ad pietatem vehementius excitetur.

Clerici diœceſis alienæ ad ſacrum faciendum in quauis eccleſia etiam exempta, minimè admittantur, niſi ſui ordinarii dimiſſorias litteras exhibuerint, quæ ſi ante ſex menſes datæ fuerint, & poſt diſceſſum à diœceſi ſua in aliena morati fuerint, oſtendere etiam debebunt illius ordinarii de moribus, & vita teſtimonium, in cuius diœceſi aliquandiu permanſerint; ſi quis autem Rector, vel ſacriſta clericos huiuſmodi in eccleſia ſua celebrare permiſerit alia, quam ſupradicta ratione, is arbitrio noſtro grauiter punietur, prout ſacro Concilio Tridentino, & Prouincialibus, necnon Viſitatione Apoſtolica cautum eſt.

Seſſ. 23. c. 6. de refor.

Non liceat alicui Sacerdoti Miſſam celebrare, niſi clericus veſte talari, ac ſuperpelliceo indutus illi inſeruiat, ſub pœna ſuſpenſionis; niſi nos iuſta de cauſa in aliqua eccleſia aliter faciendi licentiam in ſcriptis conceſſerimus.

Sacerdotes diœceſani caueant, ne cum ad officia præcipuè pro mortuis peragenda vocantur, Miſſam celebrent ſudore perfuſi, vel luto inquinati, & octeis, vel calcaribus nondùm depoſitis, ſub pœna vnius aurei, ſed paululum reſpirent, ſeq; abſtergant, ac veſte talari induti ad tantum myſterium ſe aptè præparent.

Miſſæ eodem tempore in altaribus è regione poſitis non celebrentur, ne ſacerdotes dum rem ſacram faciunt, & Miſſam etiam audientes auerſi inter ſe ſint; in altaribus quoque ita inter ſe diſiunctis, ac ſeparatis celebrentur, vt alter ſacerdos ab altero non perturbetur, neque ſi fieri poſſit, audiatur: in quo peccari ſolet maxime dum officia pro defunctis peraguntur, cum ſacerdotes moræ impatientes, quid deceat ea in re nihil curent. Quod ſi tempus eo die non patietur, vt Miſſæ omnes celebrentur, quæ celebrari debent, in alteram potius diem aliquæ differantur, quam ſalubri huic decreto non pareatur.

In diœceſi diebus feſtis Miſſæ Parochiales circiter duabus horis poſt ortum ſolis omnino celebrentur, ad præſcriptum Concilii Quarti Prouincialis niſi in aliqua eccleſia ob populi commoditatem, vel aliam neceſſariam cauſam, horam illam mutari nos mandauerimus. Commoditas autem tunc

Titul. quę pert. ad celeb. Miſſ.

non

non duorum, vel trium, ſed totius populi conſiderāda erit.
Si quis in certo aliquo altari, vel eccleſia Miſſam celebrare debet, & alibi ſine noſtra, vel alterius ad id poteſtatem habentis licentia celebrauerit, pœnam ſubeat ac ſi non celebraſſet.

Vt in illis eccleſiis, in quibus Miſſæ quamplures celebrantur facilè cognoſci poſſit, qui nam reuera celebrent, liber in vnaquaque ſacriſtia habeatur eo tantum nomine comparatus, in quo ſinguli poſtquam ab altari redierint, nulla interpoſita mora propria manu ſcribant, quo die, in quo altari, & quo nomine eam Miſſam celebrauerint. Qui vero huic decreto non paruerint, perinde ac ſi Miſſam non celebraſſent mulctentur. Liber autem ab eo, quem nos conſtituerimus ſingulis hebdomadis, aut ſaltem in ſingulos menſes recognoſcatur, & quos minimè ſatisfeciſſe compertum erit, pro die feriali ſoluant ſolidos decem, pro Dominicis, aliiſuè feſtis diebus viginti, in vſum eccleſiæ, vel ſacriſtiæ conuertendos arbitratu noſtro, & Miſſas præterea omiſſas omnino repetant, niſi legitimo impedimento infirmitatis, vel neceſſitatis alicuius, probabiliter excuſandi ſint.

In ſęcularibus eccleſiis, capellis, & oratoriis etiam ſi Iuriſpatronatus, aut confraternitatum ſint, nullus ſęcularis, vel regularis celebrare audeat, niſi facultatem ſcriptam celebrandi nominatim in eo ipſo loco à nobis, & ſexto quoque menſe renouandam impetrarit. Neque deinde liceat ei munus ſemel ſuſceptum deſerere niſi nos, aut eos, quorum nomine celebrarit triginta ante diebus præmonuerit, vt opportunè de alio ſacerdote ſufficiendo cogitare poſſint.

In Cathedrali, & collegiatis eccleſiis, Miſſa conuentualis, quę pro diei ratione celebranda eſt, nunquam omittatur, etiam ſi alia Miſſa vel votiua, vel pro defunctis celebranda ſit, ſed vel duę canantur, uel illa pro defunctis in alium diem differatur; & cum feſti diei ſolennitas in ferialem diem inciderit cui proprium Miſſę officium aſſignatum ſit, tunc duę Miſſę ita decantentur, vt hora, qua Conuentualis dici ſolet, ſolennior Miſſa quę de ſancto eſt, celebretur.

Cerei, aut intortitia, quę in eleuatione Corporis, & ſanguinis D. N. Ieſu Chriſti accenduntur, ante ſanguinis ſumptio-

 nem

nem nullo modo extinguantur.

In Missa conuentuali, & Parochiali cum Corpus Domini eleuatur signum sono campanę detur. In aliis vero Missis paruulum tintinnabulum è latere altaris appensum, aut à sacristia allatum à clerico ministro certis distinctis ictibus pulsetur.

Cum genuflectendum est ad sanctissimum Christi corpus, vel sanguinem genibus ad bradellam vsque flexis profunde se inclinet celebrans.

Vinum recens, ac purum omnino, & vbi fieri potest album ob decorem, & munditiem adhibeatur.

Dum Missa celebratur nemo intra cancellos altaris, aut prope illud admittatur, (præcipuè vero fœminæ.)

Conuenit maxime ne adhibeantur in Missa vestes, aliauè ad vsum sacrum comparata, nisi fuerint prius à nobis, seu ab alio de iure vel ex priuilegio sedis Apostolicæ facultatem habente, solemni ritu benedicta.

Sacerdos etiam Parochus quicquam profani in Missa populo non enunciet nisi eius rei data à nobis in scriptis facultate.

Cum synodo altera Laudensi proposita sit pœna suspensionis ipso facto subeunda sacerdotibus, qui diebus festis legitimo cessante impedimento per Episcopum probando Missam non celebrauerint, quod quidem decretum aliquas pati difficultates experientia docuit, cum præcipue sacerdotes diœcesani nos adire ita facile non possint pro declaratione impedimenti; ex quo fit, quod multi in suspensionis pœnam incidunt; ideo vt huic inconuenienti occurramus, ac animarum saluti consulamus, illam suspensionis pęnam ipso facto incurrendam tollimus. Præcipimus tamen omnibus sacerdotibus, vt quo frequentius poterunt Missam peragāt iuxtà præscriptum Conc. Tridentini. Dominicis autem, & aliis festis diebus omnino celebrent, nisi fuerint legitimè impediti super quo eorum conscientiam oneramus. Quod si negligentia, aut alia de causa minime legitima id facere omiserint, sciant se grauiter pęnas daturos.

Sess. 13. c. 14. de refor.

Qui primam Missam canere voluerit, studeat eo die cuncta pie sancteq; agere, & se totum in sanctis pietatis officiis omni religiosi animi studio ponat, quod vt melius exequi va-

leat, hoc decreto sancimus, ne ipso die spectacula, ludi, choreæuè hoc prætextu agantur. Tubarum etiam, buccinarumq; sonitus, necnon ambitiosi illi, & auaritiæ speciem præseferentes nobilium, & affinium inuitatus, ac musicorum instrumentorum præterquam organi, concentus inanes, & profani, omneq; sæculare oblectamentum à rei, quæ agitur sanctitate alienum, penitus tollantur. Neque cuiuslibet paupertatis prætextu liceat eleemosynas inter Missæ illius solennia per ecclesiam quæritare, vt Tridentini Conc. auctoritate prohibitum est. Conuiuia etiam vitentur; nec liceat celebranti eo die in mensa aliquem præter altaris ministros, & cantores clericalem habitum gestantes, adhibere. In mensæ autem apparatu, & ferculis à frugali mensa conuentibus foraneis per nos præscripta ne paululum discedatur, & lectio sacræ scripturæ adhibeatur. Qui contra quàm præscriptum est egerit, subeat pœnam suspensionis per mensem & grauiori etiam pro modo culpæ plectatur.

Sess. 22. de cr. de obser. in cel. Miss.

Moneantur autem fideles, vt tanto sacrificio intersint ea animi deuotione, qua illius participes fieri mereantur, atque etiam illa corporis externa compositione, vt verè christiani nuncupari valeāt, præsertimq; capite aperto semper sint, & vtroque genuflexo præterquàm dum legitur Euangeliū, quo tempore mares stent, fęminę vero stent, vel genua flectant prout consuetudinis est.

Nemini dum Missa priuata celebratur sedere liceat, nisi valetudinis causa.

Quæ de Missarum celebratione in decretis particularium ecclesiarum per nos sancita sunt ad vnguem obseruentur.

DE SACRAMENTO Pœnitentiæ.

PAROCHI populos sibi commissos sæpe doceant quod ad fructum sacramenti Pœnitentiæ consequendum necessaria sunt, vera cordis contritio, humilis, & simplex oris confessio, ac integra operis satisfactio, necnon quæ sint singularum harum partium conditiones,

vires, & fructus ex Cathechismi Romani doctrina.

Confessores sæculares dum hoc sacramentũ ministrant superpelliceo, & stola violacea omnino sint induti. Regulares vero eo habitu vtantur, quem in choro ad diuina officia adhibere solent, stolamq; superponant ad prǽscriptum visitationis apostolicæ nisi euidẽs necessitas extra ecclesiam aliud postulauerit.

Titul.quæ pert.ad sacra.pœn. Extra ecclesiam, & sedem confessionalem confessiones non audiantur nisi ægrotorum ad eiusdem visitationis, & Conc. Prouin. Quinti præscriptum; mulierum vero ægrotantium non nisi ostio cubilis, vbi illæ decumbunt aperto audiantur. Sint autem in qualibet ecclesia tot confessionalia ad formam in libello instructionum præscriptã confecta, quot fuerint confessores; collocenturq; in loco conspicuo, & aperto, ac in eorum quolibet hæc pręcipue affixa sint. Aliqua imago sacra ab exteriori parte, intrinsecùs autem Bulla in die Cęnæ Domini legi solita, Tabella casuum reseruatorum nobis, & forma absolutionis. Tollantur vero ab eis omnino capsulę eleemosynarum, neque in loco aliquo prope illa permittantur sub pœna suspensionis Rectori, vel superiori ecclesiæ.

Fugiant confessores auaritiæ non modo vitium, sed suspitionẽ etiam omnem, vel minimam, & ita se gerant, vt omnes intelligant ipsos ministerium hoc non lucri cupiditate, sed salutis animarum zelo suscepisse, sanctéq; sincerè, ac gratis in Domino gerere. Ideo in huius sacramenti ministratione eiusuè causa, neque anteã, neque post aliquid exigant, nec tacitè quidem verbis, signis, aut alia quauis significatione petant sub pęna suspensionis ipso facto subeunda. Quinimmò si alicui pœnitentia pecuniaria imponenda erit, eam cõfessores nec oblatam quidem accipiant neque ecclésiæ, aut Monasterii sui vsui adiudicent, nec si in Missæ sacro quid

Tit. eod. erogandum sit id sibi attribui curent ad præscriptum Concilii Prouinc. tertii.

Parochi sæpe in Quadragesima inter Missarum solemnia suos Parochianos moneant, ne confessionem vsque ad hebdomadam sanctam differant, ne ecclesiæ præcepto inuiti paruisse videantur vel angustia temporis oppressi minus accuratè in

re tanti momenti ſatisfacere poſſint.

Nullus Parochus confeſſionem audiat hominum alienæ Parochiæ, niſi ad id ſpecialiter, & expreſsè à nobis, vel Vicario noſtro generali in ſcriptis approbatus fuerit; Aduenarum autem, & peregrinorum quos intra Parochiæ ſuæ fines breui tempore in diœceſi morari contigerit audire poterunt etiam tempore Paſchali, niſi fortaſſe de induſtria eò acceſſerint, ne in propria Parochiali eccleſia ſacramenta ſumant. Parochus vero eccleſiæ Cathedralis ad preſcriptum Conc. ſecundi Prouin. Sacramenta illis miniſtret. Tit. primo decr. 12.

Parochi omnes Quadrageſimæ initio inter Miſſæ ſacrum moneant Parochianos ſuos, vt ſi confiteantur aliis confeſſoribus, confeſſionis teſtimonium ſcriptum ante hebdomadã ſanctam ipſis exhibeãt. Neque Paſchali tempore aliquem ad communionem admittant, qui teſtimonium huiuſmodi non exhibuerit. Et ſi aliquis Confeſſor ipſam ſchœdulam conficere recuſauerit, ſciat ſe grauiter pœnas daturum. Hocq; decretum bis ſaltem in Quadrageſima populo enuntietur. Omnes autem diligentiam adhibeant, vt quę in Concil. Prouinc. ſexto ſancita ſunt, de iis, qui peccatorum laqueis publicè, aut turpiſſimè peccandi occaſione implicitiſunt, ac in tertio de his, qui peccata ſua confeſſori extra diœceſim commoranti confeſſi fuerint executioni mittantur, & ſi quis contrauenerit nos certiores faciant. Tit. de pœnit. Tit. eod.

Sępius etiam admoneant Medicos eorum officii ergà ęgrotos illorumq; curatione deſerenda ſi non confeſſi fuerint iuxtà Conſtitutionem Pii Quinti pœnis, quę in eadem Conſtitutione continentur propoſitis. Confeſſores autem teſtimonium ſcriptum ſe ęgrotorum confeſſiones audiſſe exhibeãt intra triduum, vt Medici illud videre poſſint.

Pręfecti omnes Regularium ineunte Quadrageſima ſingulis annis Confeſſorum Monaſterii ſui probatorum nomina ordine deſcripta ad nos deferant, vt eorum numero cognito gregi noſtro poſſimus prouidere. Confeſſorum verò tam Regularium, quam ſæcularium nomina in tabella ſacriſtię foribus, vbi illi degunt affixa ſint, vt cui magis libuerit quiſque confiteri poſſit. ~~[illegible]~~

Cum maxime expediat, vt Parochi notitiam habeant omniũ,

qui

qui in eorum Parochiis morbo præsertim graui laborant, quo opportuniùs etiam non vocati eos inuisere, & animarũ saluti prout tenentur consulere possint: Monemus quoscunque sacerdotes, etiam regulares, vt statim audita confessione ægrotorum huiusmodi Parochum ægritudinis, & periculi ipsorum certiorem faciant.

Cum iuxtà antiquam ecclesiæ consuetudinem, & sanctorum Patrum, multorumq; Conciliorum præsertim sacri Tridentini decreta quorumdam casuum absolutionem nobis reseruauerimus, vt omnibus magis innotescant eos infra ordine descriptos promulgari voluimus. Nullus igitur Confessor etiam Regularis ab illis quemquam absoluat, ne auctoritate quidem quorumcunque priuilegiorum, & maris magni, vel indulgentiarum, quę ecclesiis pro tempore conceduntur, nisi hoc expressè in illis cautum fuerit sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda ad Conc. Prou. Quinti præscriptum, & iuxtà declarationem sacræ Congregationis Illustrissimorum Cardinalium, quam in fine horum decretorum imprimi iussimus; & insuper absolutionem à quocunque sine nostra facultate ipsi in scriptis concessa super eisdem casibus ab horum decretorum promulgationem impensam, aut impendendam nullius esse momenti, ipsisq; pœnitentibus minime suffragari decernimus.

Sess. 14. c. 7. de cas. reser.

Tit. de sacra. Pœn.

CASVS NOBIS RESERVATI.

1 DEVM, vel Beatam Virginem, aut sanctos ex praua consuetudine blasphemantes.

2 Hæreticales blasphemias proferentes.

3 Scientes Hæreticos, hæresisuè nomine suspectos, aut hæreticorum libros, vel aliàs prohibitos retinentes, & non denuntiantes.

4 Ecclesiam polluentes.

5 Ecclesiastica beneficia obtinentes, vel in sacris ordinibus constituti horas canonicas non recitantes, aut habitum clericalem non deferentes.

6 Legata pia post duos annos à die, quo ad illorum solutionem tenentur non persoluentes, aut ipsa legata, ad præscriptum

Conciliorum Prouincialium non denunciantes.

7 Patrem, vel Matrem percutientes.

8 Homicidia voluntaria perpetrantes.

9 Abortum procurantes.

10 Partum supponenentes.

11 Infantes, quos nutriunt, etiam ex negligentia suffocantes.

12 Filios proprios alendi facultatem habentes ad hospitalia, & pia loca deferentes.

13 Incendia committentes.

14 Arbores, & vites furtim incidentes.

15 Stateras, mensurasq; adulterantes corrumpentesuè.

16 Falsum testimonium in iudicio perhibentes.

17 Notarii instrumenta vsuraria scienter conficientes.

18 Nefandum crimen contra naturam perpetrantes, aut cum brutis coeuntes.

19 Moniales quaslibet violantes.

20 Virgines, & alias honestas mulieres rapientes, aut raptoribus consilium, & auxilium dantes, & raptas acceptantes.

21 Incestum in tertio, vel propinquiori consanguinitatis, aut affinitatis gradù committentes.

22 Simul post sponsalia ante contractum matrimonium coeuntes.

23 Clandestina matrimonia contrahentes.

24 Medici omnes infirmos non confessos post quartam diem visitantes, curantesuè.

25 Litteras nostras,& Vicarii nostri Generalis quomodolibet deprauantes corrumpentesue.

26 Obligati ad restitutionem rerum quas incertum est, cuinā restitui debeant.

27 Simoniæ crimen committentes, eiusq; internuntii & interprætes, etiam si effectus secutus non fuerit, dummodò per eos non steterit.

Reseruamus item nobis omnes alios casus, qui à sacris Canonibus summorum Pontificum Constitutionibus, & Conc. Prouinc. ac Diœcesanis Episcopis reseruati reperiuntur.

Cum Conc. Prouin. Quinto omnibus, & singulis Confessoribus etiam Regularibus in virtute sanctæ obedientiæ præci- tit.quę ad prę̄d.pert.

piatur, vt antequam audiant confessiones curent per pœnitentes memoriter recitari orationem dominicam, salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, & præcepta Decalogi, permissumq; sit Episcopo Conc. Prouin. sexto certis Confessoribus facultatem concedere, illam fidei rudimentorum recitationem aliquando remittendi. Sciant omnes nulli hanc facultatem concessam esse, nisi in scriptis illam habuerint. Ii vero hanc recitationem illis solummodo condonent, quos ea scire memoriterq; retinere exploratum habuerint. Ægrotis tamen graui infirmitate laborantibus, aut in mortis articulo constitutis, & iis quos præ senectute vel ingenii hebetudine illa ediscere non posse liquidò constabit, quilibet Confessor si ita expedire censuerit, ipsorum recitationem remittere poterit. Ipsos autem in his, quæ ad salutem sunt necessaria pro captu ingenii sui instruat. Qui autem, vt negligentiam suam excusent se ea capita ediscere non posse dicunt, & scholas Doctrinæ Christianæ adire nolunt, non audiantur in Confessione sine nostra licentia; & si in Paschate non fuerint confessi, neq; sanctissimam communionem sumpserint, ingressu ecclesiæ perinde interdicantur, ac si culpa sua, negligentiaue sanctæ Matris ecclesiæ præcepto non paruerint. In reliquis ad hanc rem spectantibus decretum Conc. Prou. Quinti omnino seruetur.

Titulo de pœnit. — *Tit. eod.*

Insuper præcipimus omnibus Confessoribus, vt curent habere penes se instructiones ad vsum ministrandi sacramentum Pœnitentiæ Mediolani impressas, quibus traditur Methodus peccata inquirendi, & indagandi, ac conscientiarum plagis, vlceribusq; medendi.

Confessores, canones pœnitentiales recte scire studeant, vt ex illorum præscripto pœnitentias singulis peccatis irrogandas temperare sciant, & diligenti cura efficiant, vt pœnitentes intelligant quam benignè secum agatur in grauibus antiquorum Canonum mitigandis pœnis, vt ad pœnitentias sibi iniunctas humiliter suscipiendas, eisq; integrè satisfaciendum promptiores reddantur.

DE SACRAMENTO Ordinis.

CVM omne studium, ac diligentiam adhibere oporteat in conferendo, & ministrando Sacramento ordinis, admonente Apostolo: Nemini citò manum esse imponendam, Examinatores humanis affectibus postpositis, & solum Deum præ oculis habentes animaduertant, ne quemquam, quem indignum norint, probent, aut dignum reiiciant: Et cum obeundum est examen illorum, qui ad curam animarum electi sunt, vel Concionatorum, Confessorum, & eorum, qui maioribus ordinibus initiandi sunt, semper adsint saltem tres examinatores nobiscum, vel cum Vicario nostro ad præscriptum Concilii Tridentini, & Prouinc. Quinti. Sess.24. c. 18. de refor.

In quocunque examine fiant interrogationes in Concil. Prou. Quinto præscriptæ iuxtà examinatorum prudentiam. Qui præterea ad maiores ordines promouendi sunt, si ex instituto, vsuq; Breuiarii horas canonicas recitare nesciuerint, repellantur. Titulo de sacr.ord.

Debita etiam adhibeatur diligentia an beneficii ecclesiastici pensionis, aut patrimonii census ad cuius titulum ad sacros ordines quis promouendus est sufficiat ad vitam honestè sustentandam, & ne hoc indefinitum maneat, statuimus vt census patrimonii, vel pensionis, aut sponsionis ad Concilii Prouin. Quinti præscriptum saltem ad centum quinquaginta librarum imperialium summam annuatim ascendat. Tit. eod. Quamuis enim ægre modico isto censu, quis viuere possit, vt tamen aliqua ratio paupertatis locorum habeatur, & ecclesiæ necessitati, quæ maximam ministrorum patitur penuriam succurratur, eousque descendere visum est. Sed ne in instrumentis, quæ eiusmodi census donandi assignandiuè, aut sponsionis causa confici solent, fraus vlla intercedat omnes solemnitates circa hoc in dicto Conc. Prouinc. Quarto & Quinto expresè ad vnguem obseruentur. Tit. eisd.

Omnes qui aliquo ordine præcipuè sacro initiandi sunt alicui ecclesiæ, statim ascribantur, in qua studiosè suas functio-

nes obeant, atque alias etiam si eis assignandæ videbuntur. Exprimatur autem in instrumento ordinis saltem presbyteratus cui ecclesiæ ordinatus ascriptus fuerit; nulliq; liceat eam deserere sine facultate in scriptis à nobis obtenta sub pœna suspensionis ex decreto Concilii Tridentini.

Seß. 23. c. 16. de refor.

Alienæ diœcesis homines sæculares ad aliquos ordines non promoueantur nisi exhibeant ordinarii sui litteras dimisorias de ordine suscipiendo, ac vitæ, morumq; honestatis testimonium continentes, quæ vetustiores tribus mensibus non sint, in iis etiam fiat mentio de dispensatione super interstitio, si quando ante annum ad alium maiorem ordinem pro ecclesiæ suæ vtilitate, vel necessitate Episcopus eũ promouendum censuerit. Regulares vero nisi habuerint easdem litteras dimisorias, & superioris sui testimonium de ordine suscipiendo, Quodq; legitimæ ætatis sint ac nulla culpa, canonicouè impedimento irretiti; fidem etiam ordinis proxime suscepti ac professionis emissæ, aliarumq; solemnitatum requisitarum ad præscriptum Concilii Prouin. Secundi & Quarti continentes. Eæ vero omnes testimonii litteræ ab ordinandis exhibitæ penes Notarium curiæ Episcopalis fideliter custodiantur.

tit. i. decr. 23. & tit. de sacra. ord.

DE SACRAMENTO Matrimonij.

PAROCHI antequàm publicè in ecclesia matrimonia contrahenda denuntient non solum contrahentium sed etiam eorum parentum si habuerint, voluntatem in re tanti momenti cognoscant, & si ipsi in hoc dissenserint, iis, qui nuptias contrahere volunt apposite grauiterq; demonstrent quam vtile, rationiq; conueniens sit, licet hac in re parentum consensus necessario non requiratur, ipsis tamen obsequi, & parere. Et donec liberorum nuptiis parentum voluntas repugnauerit, Parochi vlterius non progrediantur, antequam nos consuluerint.

Matrimonii denunciationes nobis inconsultis cum in diœcesi sumus quouis prætextu aut causa non omittantur. Quo die autem

autem denunciatio vltima facta est eo ipso fine nostra licentia matrimonium non celebretur, nisi facta sit pridie illius diei, quo initium est Quadragesimæ, vel Aduentus, & nisi iam Parochus populo præcedenti denunciatione significarit, die postremæ denunciationis Matrimonium esse contrahendum.

Neminem qui orationem dominicam, salutationem Angelicam, Apostolicum Symbolum, & præcepta Decalogi ignoret absque nostro consensu Parochi matrimonio iungant.

Quæ de cautione adhibenda cum iis, qui in aliena diœcesi, vel in diuersis Parochiis habitant in Conciliis Prouincialibus Secundo, Tertio, Quarto, & Sexto, sancita sunt seruentur omninò, sub graui pœna illis subeunda, qui contrauenerint. Titulo de matrim.

Parochi si coadiutorem habeant cuius ministerio ex facultate eidem concessa vtantur, ad matrimonia contrahenda inter Parochiæ suæ incolas, in libro certo illius nomen, & cognomen, diem, mensem, & annum notent, quo tamquam ipsorum coadiutor facultatem à se, vel à nobis consecutus est matrimonia celebrandi. Neque Presbyter aliquis admittatur ad matrimonia celebranda, nisi etiam approbatus sit ad alia Sacramenta ministranda.

Quoties occasio tulerit populum accuratè doceant, quantam animi piam, & religiosam præparationem requirat matrimonii Sacramentum, & quomodo illud sanctè contrahendum sit, Cathechismi Romani Doctrinam, ac loca ad id adhibentes. Curent quoque vt iuxta Tridentinæ synodi decretum, qui matrimonium contracturi sunt prius peccata sua confiteantur, & sanctissimam Eucharistiam sumant, idque saltem triduo antequam matrimonium contrahant, præstent. Sess. 24. c. 1. de refor. matrim.

Cum in ecclesiam conueniunt ad matrimonium contrahendum, vel benedictionem accipiendam, nulla cuiusuis generis instrumenta musica afferri patiantur. Quod si moniti id facere recusent, tandiù matrimonii celebrationem, vel benedictionem differant, quo ad sanctè sicuti debet ad ecclesiam eo nomine venerint.

Omnem diligentiam adhibeant Parochi, ne coniuges ante benedi-

nedictionem sacerdotalem in ecclesia ab ipsis suscipiẽdam in eadem domo habitent.

Cum Rituali Brixiensi moneantur Parochi coniuges non esse benedicendos quando alter ipsorum aliàs benedictionem acceperit, sciant id obseruandum esse vbi consuetudo non inualuerit, quòd mulier quæ prius nemini nupserit benedicatur, etiam si vir aliam vxorem duxerit. Consuetudo enim in hoc seruanda est. Viduæ autem nuptias nunquam benedicant, quamuis vir aliàs matrimoniũ non contraxerit.

Non est ferenda illa corruptela in aliquibus diœcesis nostræ locis reperta quod cum viduus vxorem ducit, aut vidua iterum nubit per vicos; & plateas clamores ingentes à profano gentilium more non abhorrentes, eduntur. Id enim cum à christianæ pietatis institutis, & à matrimonii sanctitate, ac libertate alienum sit illud in perpetuum interdicimus, ac prohibemus. Curentq; Parochi frequentibus cohortationibus, & increpationibus, vt abusus iste omnino tollatur.

DE SACRAMENTO extremæ Vnctionis.

VT fideles in petendo hoc Sacramento sint diligentiores, vberrimos eius fructus ex Cathechismi Romani doctrina Parochi sæpius explicent, eoq; præsertim tempore, quo sacratissimam Eucharistiam pro viatico ad ægrotos deferunt. Illos doceant, quam valde expediat ab ægris vltrò, & dum integris sunt sensibus hoc sacramentum piè deposci, tamquam salutare remediũ non solum animæ, sed etiam corporis, quando ita ægrotorum saluti expediat.

Ad sacramentum hoc ministrandum, Parochi qualibet etiam noctis hora paratos se præstent, nullamq; dent significationem se non libenter ad illud debitum charitatis officium perficiendum accedere. Induti autem sint stola, & superpelliceo, ac habeant clericum pariter superpelliceo indutum, qui vas aquæ benedictæ cum aspergillo defe-

rat

rat ad præscriptum Concilii Prouincialis Quarti nisi ob itineris longitudinem, ac difficultatem, noctisue horam intempestiuam necessitas aliud suaserit, & tunc antequam cubiculum ægroti ingrediantur, omnino tam ipsi, quam clerici superpelliceum induant. Caueant autem ne in eo quod necessitati tribuitur propriæ commoditati nimis indulgeant, super quo eorum conscientiam oneramus; seruentq; quoad fieri potest perpetuam illam ecclesiæ consuetudinem iuxta etiam monitionem Cathechismi Romani, vt ægris confessis, & qui sacram Eucharistiam sumpserint hoc sacramentum ministrent. Titulo de sacr. extr. Vnct.

Vasculum sacri olei in capsula lignea positum, in bursa sericea aptè recondatur, ac funiculis longis aptatum, & collo commode annexum ad ægrotos deferatur.

DE IEIVNIO.

EDICTVM de obseruatione Ieiunii Quadragesimalis per nos editum, & in fine horum decretorum vulgari sermone exaratum, Parochi in sua quisque ecclesia die Dominico quinquagesimæ inter Missarum solemnia promulgent, ac vt executioni demandetur, omnino curent.

Quibus ob aduersam valetudinem, vel aliam iustam causam ieiuniorum diebus, carne aliisq; eo tempore vetitis cibis vesci permissum est; ne palam, sed occultè quantum cuiusq; conditio patitur, eius generis cibum capiant, ac cum aliquo etiam cordis dolore, quod cæteris in sacra illa abstinentia se conformare nequeant, & ita se gerant, vt ob corporis imbecillitatem, aut morbum potius quo laborant quam ob ingluuiem id facere cognoscantur.

Studeant Parochi euellere omnino corruptelam illam à nonnullis introductam, qui putant in quattuor anni temporibus, & quando dies festus Patroni ecclesiæ in die vigiliæ inciderit, ieiunium frangere posse, modo abstineant ab ouis, & lacticiniis, immò illos, si iis diebus ieiunium non obseruauerint, peccato alligatos esse doceant.

QVÆ

QVÆ AD CLERI MORES pertinent.

CVM ad continendos in officio laicos maximè necessaria sit morum grauitas, vitæq; exemplum illorum, qui in sortem Domini vocati, & mysteriorum Dei ministri sunt; debent certe ii omni studio vitã, & actiones suas ita componere, vt cunctis virtutum exempla præbeant, & ea, quæ hoc de genere in Conciliis Prouincialibus constituta sunt, diligenter, & accuratè obseruare præcipuè verò infrascripta.

Tonsuram clericalem cuiusq; ordini congruam deferant, vtq; conspicua sit, quinto decimo saltem quoque die renouetur. Barba autem ne studiosè compta, vel in acutum incisa, nec ab vtraque oris parte intorta productaue sit, & illam sacerdotes in superiori labro ita recidant, vt dum Christi sanguinem sumunt impedimento esse non possit. Nemo etiam deferat capillos supra frontem eminentiores sub graui pœna. Interulæ quoque ad collum, aut manus crispæ, rugosæ, vel artificio elaboratæ non sint.

Non ferant sudariola, chirothecas, vestes, aliasuè res odoribus delibutas; neque pileis vtantur nisi ob aduersam valetudinem, aut aeris intemperiem, pluuiamuè ingruentem. Sit antem pileus simplex, & forma depressa, quem etiam cum primum in ecclesiam ingressi fuerint deponant.

Annulos nemo gestet nisi in ea dignitate sit constitutus in qua cõferenda annulus etiam digito imponitur tamquam illius dignitatis insigne. Vnicus autem, & simplex sit, neq; vnquam in celebratione Missę deferatur ad pręscriptum Concilii Quarti Prouincialis.

Titulo de vita & honest. cler.

In vestitu omnem nouitatem, notamq; non solum nimię elegantię verum etiam sordium, & negligentię fugiant, sintq; vestes nigri coloris, ac simplices, & nunquam sericę.

Tit. eod.

Vestem talarem semper deferant, lugubres autem ex cottone confectę non sint, prout Conc. Prouinc. Quinto cauetur, nec quasuis extra domum ad collum reflexas, aut globulos longos habentes gerant. Domesticę vero nigri coloris, aut

leonati

leonati sint omninò, in quibus etiam refulgeat honestas, & decorum sacerdotale. Cum autem iter est faciendum, vtātur veste contractiori, & simplici, quæ tamen ad minus infra genua descendat.

Subbiretum deferentes eo nunquam ad altare vtantur sine licentia nostra.

Quicunque in hoc vestitus genere deliquerit mulctabitur vestibus, & indumentis, quæ contra præscriptum induerit, aliisq; præterea pœnis arbitratu nostro.

A conuiuiis, & nimia laicorum conuersatione præsertim eorum, qui suspitione male agendi non carent, abstineant. Ad cauponas autem non accedant, neque in eis bibant, aut edant. nisi itineris causa necesse sit, & tunc separatim à fęminis id faciant. Parochi item nullo modo in cauponis edant, quæ intra fines, eorum Parochiæ sint. Qui contrafecerit mulctetur pęna duorum scutorum.

Abstineant à lusoriis chartis, & omni alio ludi genere, quod à sacris canonibus sit interdictum, nec etiam ludentes spectent.

Ne personati vnquam incedant, neue comędiarum, aut chorearum, vel prophani vllius spectaculi actores, vel spectatores sint.

Nullum venationis genus exerceant, aut canes aliudue venaticum animal alant.

Ab omni genere mercaturæ, & laicalibus negotiis tractandis omnino abstineant, neque se in eis medios, aut interpretes adhibeant, neuè prædia etiam ecclesiastica, aut decimas etiam per interpositas personas conducant, aut cum ipsis conductoribus aliquo modo participent, minusuè ab eis aliquid eo nomine accipiant.

In plateis, porticibus, viciniis, tabernis, officinisuè publicis otiosè ne subsistant, aut vagentur, neuè in his publicis locis colloquium in longius ducant cum laicis, præsertim fœminis etiam affinibus, nisi aliud postulet necessitas ob quā solum etiam liceat illis post primam noctis horam, & cum lumine è domo exire.

Illud semper præ oculis habeant se non ad inertiam, atq; ignauiam, sed ad spiritualis, & ecclesiasticæ militiæ labores vo-

catos esse; ideo vt otium vitent quod reliquum erit temporis à diuinis officiis in sacrarum litterarum studiis traducāt, eamq; ob causam pręter Breuiarium, & Calendarium hos saltem libros habeant, in quorum lectione frequenter versentur videlicet, vtriusque testamenti volumina, Cathechismum Romanum, Concilium Tridentinum, & Prouincialia, ac etiam has nostras constitutiones illasq; in manibus assiduè, ac præ oculis habentes pro sui quisque muneris ratione exequi, & in vsum introducere studeat.

In minoribus ordinibus constituti sæpe confiteantur, & se mel saltem singulis mensibus Eucharistiam sumant. Diaconi vero, & Subdiaconi sciant maxime decere, vt quoties festo die altari ministrant, etiam communicent.

Sacris præterea concionibus cuiusuis ordinis clerici nisi legitimè impediti fuerint, semper intersint.

Functiones in statutis ecclesiis sibi assignatas vnusquisque obeat, & ab ecclesia cui ascriptus est non discedat sine nostra licentia sub pęna suspensionis. Chorum autem cum diuina officia celebrantur, nunquam ingrediantur, vel in eo permaneant absque superpelliceo, quod quidem laras habeat manicas, & non sit laceratum, vel sordidum, neque etiam nimis elaboratum sub pœna arbitrio nostro, ei qui contrauenerit irroganda.

DE CANONICIS.

CANONICI præsertim Cathedralis ecclesiæ memores sint vitę à sacris canonibus illis præscriptæ, & sicut honoris gradu cæteros sacerdotes antecellunt, ita diligentius ea seruent, quæ ad ipsorum vitæ institutum pertinent, vt non tantum nomine, sed etiam re ipsa verè se Canonicos esse profiteantur. Quemadmodum etiam ad Dei honorem, animarumq; salutem Episcopi coadiutores esse debent, ita ei alacri animo semper parere, splendoreq; omnium virtutum præcipue sanctæ humilitatis, & obedientiæ fulgere studeant. Quæcunq; circa chori disciplinam in conueniendo ad diuina officia, & ab eis recedendo in ecclesiis conuersando, ac capitulo obeundo,

reliquaq;

reliquaq; omnia in Conciliis Prouincialibus præsertim primo visitatione apostolica, & tabellis iussu nostro in eorum sacristiis affixis statuta sunt diligenter obseruent, ac omnia munera eis quouismodo incumbentia, qua par est diligentia, & solicitudine obeant, ac exequantur, memoresq; sint, quod si in iis negligentes fuerint non solum pœnas in dictis decretis comminatas dabunt, sed etiam exactam rationem in extremi iudicii magno die reddent. Maledictus enim à sacris litteris appellatur, qui facit opus Dei negligenter. Tit. de diuin. off.

DE PAROCHIS.

PAROCHI, Pręposíti, Archipresbiteri, cæteriq; omnes animarum curam habentes, onus omnium grauissimum humeris suis impositum esse crebrò recordentur; semperq; cogitent, quomodo saluti animarum sibi creditarum, quas Dominus Saluator noster pretioso sanguine suo redemit, consulant, vt earum rationem reddere possint. Quod vt facilius assequantur in suis ecclesiis perpetuò resideant. Iis præsertim temporibus, quibus fideliũ confessiones frequentiores esse solent; tunc .n. ne breui quidem temporis spatio ab eis abesse licebit sub pœna vnius aurei in singulos dies, quibus sine legitima causa à nobis vel Vicario nostro generali probanda absfuerint, ad præscriptum Concil. primi Prouincialis, & si aliquò proficiscendi facultatem obtinuerint, antequam discedant, alium sacerdotem à nobis confessionibus audiendis iam probatũ, deligant, qui eorum vices circa curam animarum gerat; In domibus etiam Parochialibus habitent, quod si commode fieri non potest, alienam, quæ tamen intra Parochiæ fines posita sit, conducant, vt omni tempore illis præsto esse possint, qui eorum opera, & ministerio vti voluerint, aliàs contra eos tanquam non residentes ad pręscriptum Conciliorum Tridentini, & Prouincialium procedetur. Vt autem tollatur omnis occasio absentiæ, nullo modo suscipiát munus celebrandarũ Missarum extra proprias ecclesias sine facultate à nobis in scriptis concessa sub pęna nobis arbitra- Titulo de sacr. pœn. Sess. 23. c. 1. de refor.

Titul. quæ ad Miss. pert.

ria prout Conc. Prouinciali Quarto cauetur. Soliciti etiam sint in sacramentis ministrandis, nullamq; moram interponant cum vocantur, etiam si media nocte, ac in vltimos Parochię fines eundum sit, sed promptè, & opportunè quò oportet se conferant, scientes se grauissimas pœnas daturos, si quispiam absque sacramentis ipsorũ culpa decesserit.

Ægrotos præcipuè graui morbo laborantes sępe inuisant, & ad omnia, quę ad salutem necessaria sunt pręstanda hortentur. Cum mulieribus verò ægrotantibus nisi necessitas aliud suaserit nunquam soli in cubiculo sint.

Licet Coadiutores habeant, per se ipsos tamen munera Parochialia obeant, sacramentaq; ministrent. Sanguinem enim animarum ipsis creditarum Christus Dominus de eorum manibus requiret. Coadiutoris verò operà tantummodo vtantur, quando ipsi legitimè impediti fuerint, super quo illorum conscientiam oneramus.

Vniuersa sacramenta ritè, & rectè, omniq; animi pietate, & exteriori etiam cultu, ac diligentia administrent iuxtà sacrorum Canonum sanctiones, & ecclesię nostrę laudabiles ritus, atque hęc pręsertim quę de sacramentis primo generatim, tum etiam speciatim à nobis sancita sunt, seruare studeant.

Aquam benedictam singulis diebus Dominicis mane ex antiquo ecclesię ritu renouent.

Licet Parochi certis diebus feriatis, & omnibus festiuis teneātur Missam in Parochiali ecclesia celebrare, nonnulli tamen muneris sui immemores, diebus festis propriam ecclesiam deserunt, vt in aliena celebrent, ex quo fit, vt multi fideles Missę sacrificio non intersint; pręsertim in diœcesi ii qui senio confecti, aut negotiis domesticis impediti ad ecclesias vicinas ire non possunt; ideo vt huic inconuenienti occurramus, pręcipimus omnibus Parochis, & aliis curam animarum gerentibus, vt quolibet die festo, qui ecclesię pręcepto, aut consuetudine colitur, nisi legitimè impediti fuerint in propria ecclesia Missam celebrent, nec ad aliam causa inibi celebrandi se conferant, etiam sub pretextu cuiusuis solemnitatis quę ibi agatur. Si tamen in aliqua ecclesia Parochiali duę Missę celebrari solent, poterit tunc Parochus

Sacer-

Sacerdotem sibi coadiutorem ad celebrandum in vicina Parochiali cuius solemnitas agitur transmittere, dummodo festo die celebritatem pręcedente populo suo id significet, Quicunq; autem huic decreto ad vnguem non obtemperauerit, graues pœnas arbitratu nostro dabit.

Eisdem Dominicis festisq; diebus populos sibi commissos inter Missarum solemnia ipsimet, vel si legitimo fuerint impedimento detenti, aliorum idoneorum ministerio salutari pascant doctrina sacrum Euangelium qua fieri poterit facilitate explicantes. Illis vero, qui ad id munus apti non sunt, neque per inopiam aliorum opera vti poterunt, licebit ex Homiliarum libro probato, vel ex aliqua Cathechismi Romani parte vulgari sermone expressa, aliqua recitare, quæ auditorum animos ad summi Dei, & proximi intimā dilectionem possint accendere. In ea etiam vitia in quibus populos frequentius peccare animaduertent, vehementius inuehantur, dummodo in iis arguendis se non hominum, sed peccati odio moueri demonstrent; neminemq; apertè, vel tacitè designent, aut notent. Habeant autem libellum instructionum prædicationis verbi Dei ex Conc. Prouinc. Tertii decreto impressum, illumq; sæpe legant, & obseruent, ac omnibus concionatoribus in eorum ecclesiis prædicare volentibus legendum præbeant, & vt obseruent, moneant. Titu. quæ ad Cócio. pert.

Finito sermone dies festos, vigilias, & ieiunia populo annuncient, aliaq; seruent in Conc. Tertio Prouinciali præscripta. Ne autem per ecclesiam accipiendæ oblationis causa tam ipsi, quàm quiuis alii sacerdotes vagentur, sed tempore offertorii stantes penes septum altaris illam ab hominibus recipiant. A mulieribus vero in loco ipsis commodiori, & septo viciniori; Nec tunc patena sed crux Manipuli, vel Pax instrumentalis populo osculanda præbeatur. Tit. de Parochis.

Vesperas festis diebus præmisso campanæ signo canant superpelliceo induti ad quas omnes clerici illi ecclesiæ ascripti, aut aliàs in Parochia degentes, nisi alteri ecclesiæ mandato nostro inseruire debeant, omnino conueniant, sub pœna quartæ partis vnius aurei, ac etiam grauiori arbitratu nostro infligenda iis, qui obedire neglexerint; si vero nemi-

nem habuerint à quo in iis cantandis possint adiuuari, ipsi saltem vna cum clerico ecclesiæ inseruire solito voce ita clara eas recitent, vt à præsentibus laicis commodè audiri possint. Diligenter autem, & accuratè Parochi præstare curent quæcunq; Conciliis Prouincialibus Primo, Secundo, Tertio, & Quarto, sancita sunt de clericis ecclesiis ascriptis, ac de functionum præstitarum testimonio.

Tit. de off. sacer. Titulo 1. decr. 24. & tit. 2. decr. 28. tit. de ord. sacr. Titulo de sacr. Matrim.

Cum Concil. Tertio Prouinciali caueatur fideles in oratione vespertina exercitari debere, quod etiam nos in vrbe, & diœcesi nostra perpetuo obseruari cupimus; ideo Parochis omnibus mandamus, vt singulis diebus stata hora in sua quisque ecclesia certis campanæ ictibus, illius sanctæ orationis in vnaquaque familia aut in ecclesia pro temporis, & loci ratione habendæ ad præscriptum Concil. Quarti Prouinc. signum dent. Et vt ad illam fideles vehementius accendantur, inter Missarum solemnia sæpe summatim recitent litteras fœl. recor. Gregorii Papæ XIII. in quibus indulgentia illis conceditur, qui in dicta oratione se exercuerint.

Titulo de Orat.

Singulis sabbathis sub vesperum Salue Regina, vel alia Antiphona de Beatissima Virgine Maria pro temporum ratione in omni Parochiali ecclesia tam vrbana, quàm diœcesana à Parocho, & reliquis clericis ecclesiis ipsis inseruientibus, vel ascriptis piè concinnatur, ad præscriptum Conc. Tertii Prouincialis sub graui pœna non interessentibus constituenda.

Titu. quæ ad Diuin. off. pert.

Habeat quilibet Parochus præter communes libros de quibus superius mentionem fecimus, Rituale, Sacerdotaleq; Romanum, ac aliquem ex probatis Doctoribus noui saltem testamenti interpretem, Summam item Syluestrinam, vel aliam probatam, Manuale Nauarri, & aliquos Homiliarũ probatos libros. Quibus omnibus si quis carere deprehensus fuerit, tot aureis mulctetur, quot ei deesse compertum erit.

Libros quattuor præterea habeant, in quorum vno eorum, qui baptizantur, in alio eorum qui confirmantur, in tertio eorum qui matrimonia contrahunt nomina diligenter annotentur, in quarto autem animarum omnium in suæ Paro-

chię

chię finibus degentium, atque morientium statum quàm diligentissimè describant, ad eam, quę inferius adiicietur formulam.

Si quas intellexerint rixas, aut inimicitias inter aliquos suę Parochię homines intercedere, eas omni cura studeant componere.

Decretum Concilii Quarti Prouincialis de habendo, & educando clerico, de non alendis, aut domi retinendis pueris in disciplinam traditis, & de non exercendo ludo litterario sine nostra licentia omnino seruent. Titulo de sacr. ord. & de Paroch.

FORMVLA DESCRIBENDI nomina eorum, qui baptizantur, confirmantur, matrimonia contrahunt, & statum animarum.

BAPTIZATORVM.

DIE 21. mensis Octobris anni 1590. fuit à me Rectore Parochialis ecclesię sancti Blasii Laudę baptizatus filius Simonis Martani, & Catherinę iugaliũ natus die 18. eiusdem mensis, eiq; fuit Antonii nomen impositum, patrini autẽ fuerunt Petrus Crispinus Laudensis vel loci N. & Lucia vxor Camilli Bisnati, vel filia N. de N.

Quod si infans ex legitimo matrimonio natus non fuerit, neque manifesti sint eius parentes, aut alter eorum ita scribatur.

Die primo Nouembris anni 1590. fuit à me Iohanne Rectore Sancti Nicolai baptizatus infans cuius parentes ignorantur natus die vltimo mensis Octobris proxime pręteriti. Reliqua vt supra. Caueat verò ne in his scribendis quemquam infamię notet.

Si expositus sit infans exprimatur quo die, & quo loco ille fuerit expositus.

Si

Si infans domi ob imminens mortis periculum baptizatus sit, ita scribatur.

Die quarto mensis Nouembris 1590. natus est filius Iacobo, & Annę iugalibus habitantibus in Parochia sancti Blasii Laudę, vel loci Cottonei, quem ob imminens mortis periculum adhibita stata forma in domo rite baptizauit Clara obstetrix probata, vel Petrus filius Andreę. patrini fuerunt &c. vt supra.

Si superuixerit infans, & ei adhibitæ sint in ecclesia sacrę cæremonię, ita addatur.

Die sexto eiusdem mensis, & anni ad ecclesiam Parochialem sancti Blasii delatus est suprascriptus infans, ipsiq; ego Iacobus Rector ex prescripto ritu statas cæremonias, & preces adhibui, & Pauli nomen imposui. patrini fuerunt iidem, qui in baptismate adhibiti sunt, vel si alii forte fuerint, annotentur vt supra.

CONFIRMATORVM.

DIE quarto qui fuit dies Dominicus mensis Nouembris anni 1590. confirmatus fuit Iulius filius Cęsaris Crispini, & Magdalenę iugalium per Reuerendissimum D. Episcopū Laudensem in Ecclesia Cathedrali Laudę. Eius patrinus fuit Vincentius filius Thomę Fissiraghę, & Marię iugalium.

Pro mulieribus autem si nuptę fuerint, tàm quę suscipiunt, quàm quę suscipiuntur pręter ipsarum nomina, & cognomina addantur nomina, & cognomina virorum hunc in modum.

Lucretia filia Iacobi Barni, & Appollonię iugalium, & vxor Philippi Besutii.

MATRIMONIA CONTRAhentium.

DIE 3. mensis Nouembris anni 1590. pręmissis tribus inter Missarum solēnia solitis denunciationibus, qua-

rum prior facta fuit die Dominico 21. Octobris, secũda, die Dominico 28. eiusdem mensis, tertia vero die primo Nouembris, qui fuit dies festus omnium Sanctorum; nulloq; penitus impedimento canonico detecto, Ego Iacobus Rector ecclesiæ Parochialis S. Laurentii Laudæ, seu loci Castioni in matrimonium coniunxi Aurelium filium Erasmi Parochiæ, vel loci vtsupra, & Appolloniam filiam Andreę, seu relictam quondam Pauli (si vidua fuerit) ipsis prius interrogatis eorumq; mutuo consensu habito præsentibus Ludouico de Bellonis filio Antonii, Parochiæ sancti Iacobi Laudæ, vel loci Spini, & Andrea Armagno filio quondam Antonii, Parochiæ, vel loci vtsupra,

Quod si ipsorum alter alienæ Parochiæ accola sit, ne prius matrimonium contrahi permittat alter Parochus, quàm denunciationum ritè habitarum in alia Parochiali ecclesia intra cuius fines alius domicilium habet ab eius Parocho scriptam attestationem, quam in filo seruabit, habuerit, eo autem casu id quoque annotabit ad hunc modum.

Denunciationes de hoc matrimonio factæ sunt etiam à Reuerendo Ambrosio Bonamano Parocho ecclesiæ sancti Nicolai Laudæ, vel loci Gradellę in qua dicta Appollonia habitat, vt ex eius in scriptis testimonio in filo apparet; in eiusmodi autem testimonio exprimatur dies cuiuscunque denunciationis vt supra.

Si vero alterius diœcesis sit alteruter ipsorum Parochi attestantis denunciationes ritè præstitas esse, testimonium Reuerendissimi Episcopi loci, aut eius Vicarii Generalis subscriptione, & sigillo comprobatum sit, alioquin nullius roboris esse illud testimonium censeatur.

Vbi vero nos scripto concesserimus denunciationes remittendas, aut differendas esse, notetur hac ratione.

Die 20. mensis Decembris anni 1590. denunciatione vna die suprascripta habita, reliquis vero dilatis post Matrimonii celebrationem ex facultate scripta Reuerendissimi Episcopi, quæ penes me est in filo, nulloq; prorsus impedimento allato, & reliqua vt supra.

Si nulla denunciatio ex eadem facultate facienda erit sic scribatur.

Denunciationibus omnibus omissis, vel dilatis &c. & facultate &c. vt supra dictum est.

Denunciationes, quæ post contractum matrimonium fient, ita scribantur.

Die 25. mensis Decembris anni 1590. & die vltimo eiusdem mensis, Ego Franciscus Rector &c. intra Missarum solemnia denunciationes habui Matrimonii iam initi ab Andrea Carentio, & Clara de Vitalibus die 20. huius mensis, nullumq; tamen canonicum propterea impedimentum ab aliquo allatum est, quominus huiuscemodi matrimonium ratum, & firmum esse debeat.

Si vero alius sacerdos coniunxerit aliquos in matrimonium de licentia nostra, vel Vicarii nostri, aut Rectoris ecclesiæ omnia scribantur iuxta prædictam formam; loco vero verborum illorum, Ego Franciscus Rector, dicatur, Ego presbiter Ioannes de Locadelis loci Buffaloræ habita facultate à Reuerendissimo Episcopo, eiusue Vicario, aut Rectore illius ecclesiæ. Reliqua vt supra.

STATVS ANIMARVM.

Iacobus Barnus Paterfamilias	an.	54
Cecilia eius vxor filia Georgii Vituloni	an.	42
Antonius eorum filius	an.	20
Martha filia	an.	10
Marcellus filius Laurentii N. famulus	an.	25
Anastasia Ancilla filia Bernardi N.	an.	31

Qui sua peccata confessus, & in Paschate communionem sumpserit hoc caractere notabitur. Comm.

Qui tantum confessus, hoc alio Conf.

Qui confirmatus, isto. Chr.

Ab vna autem ad alteram familiam interiectum aliquod spatium sit, vt eorum, qui nascentur, nomina, & aliorum, qui in dies accedent incolarum in eodem libro describi facile possint.

Nomina autem eorum, qui è finibus Parochię discesserint subtetiecta notentur linea hunc in modum.

Maria filia quòd fortasse nupserit, vel

Clara

Clara ancilla quòd ad aliud seruitium transierit.

Qui vero è vita decesserint, transuersa linea deleantur Crucis adiecto signo, notato etiam die, mense, & anno mortis.

Marius filius ✠ è vita migrauit die 2. Martii anni 1590.

DE VICARIIS FORANEIS.

CVM non solum ad disciplinam, ritusq; ecclesiasticos conseruandos maximè necessarii sint conuentus sacerdotales, sed multi etiam alii fructus ex eis colligantur: ideo quilibet Vicarius foraneus in sua Regione diligens sit in eis, singulis mensibus iuxta præscriptũ Conciliorum Prouincialium modò in hac, modò in illa Parochiali ecclesia conuocandis. Non congregetur tamen clerus diebus aliqua solemnitate; ex ecclesiæ præcepto, vel consuetudine impeditis; præcipuè in loco, vbi Congregatio destinata est, nec etiam iis temporibus, quæ in confessionibus audiendis, aliisuè Sacramentis ministrandis consumi debent, sicuti per octo dies ante Natalem D. N. Iesu Christi, & quamlibet aliam insignem celebritatem, vel Iubileum generale, ac quindecim dies ante Pascha Resurrectionis; & si in aliqua Ecclesia Parochiali per vnum, vel duos menses cõuentus haberi ex aliqua iusta causa non poterit, de hoc prius Vicarius nos certiores faciat ex decreto Conc. Quarti Prou. Titulo de Par.

Omnes sacerdotes cum ad Congregationes venerint in ecclesia deuotè orent; deinde Vicarium, vel eo absente Rectorem ecclesiæ adeant, vt ipsos adesse sciat, tum Missam celebrent, cæteraq; omnia præstent, quæ eo die obire debent.

Parochus in cuius ecclesia conuentus celebratur, die Dominico antecedenti præscriptum, ad hoc diem populo ex decreto Conc. Secundi Prouin. significet, eum cohortando, vt Tit. 2. decr. 30. ad ecclesiam frequens ea ipsa die conueniat, vt orationis, quæ pro mortuis, viuisq; fiet, particeps sit, vtq; vnius etiã anni indulgentiam à fœl. record. Gregorio XIII. concessam, cuius exemplum in huius libri parte vltima editum est, consequi valeat. Et vt magis innotescat, pridie diei cõuentus sub vesperum, solemni, longioriq; campanarum sono celebritatem hanc populo significet.

Postquam in ecclesiam omnes conuenerint superpelliceis induti: Etiam si sint Regulares, in choro nocturnum eius diei proprium pro mortuis cum laudibus distinctè, & religiosè concinnant; deinde de suggestu cõcio ab eo, quem Vicarius delegerit ad populum habeatur; illum præcipue commonefaciens de iis quæ ad hominum disciplinam, spiritualis vitæ studium, publica peccata euellenda, ecclesiarum cultum, & visitationis decreta exequenda pertinebunt. Si quis autem ex clericis conuocatis sine Vicarii licentia, aut absque iusta causa ab ipso probanda concioni non interfuerit, solidis decem mulctetur, quos ex nunc Sacristiæ illius ecclesię applicamus. Concione absoluta Missa solemnis celebretur pro defunctis, nisi Vicarius eam de Spiritu sancto ex aliqua iusta causa, & occasione celebrari mandabit, prout decreto Conc. primi Prouinc. cauetur. Nunquam tamẽ officium pro mortuis omittatur. Missa celebrata solemnis defunctorum absolutio fiat in ecclesia, & cœmeterio à sacerdote, qui Missam celebrauit. Fiat etiam processio circa cœmeterium, qua peracta omnes clerici ad conuentum euocati in ecclesiæ domo apud illius Rectorem simul cibum ea, qua ecclesiasticos homines decet, modestia, capiant, & lectio sacra perpetuò adhibeatur, nullusq; laicus ad comestionem admittatur.

Titulo de Vic. for.

In mensa vnum tantum ferculum, vnico etiam modo conditũ præter iurulentum, caseum, & fructus, apponatur. Abstineaturq; ab omni genere volatilium, & ferarum, ac nobilium piscium, sub pœna duorum aureorum ab illo, qui contrauenerit, & Vicario, qui permiserit, vel nobis non denunciauerit, auferendorum.

A prandio, postquam de more gratiæ Deo actæ fuerint; Quęstiones in priore conuentu propositas, quæ circa casus conscientiæ tantum versentur, suo quisque ordine explicet, simulq; de iis conferant, quę ad suum munus ritè obeundũ spectare videbuntur.

In vnaquaque regione deligetur à nobis Cancellarius, qui ad dictandum, & scribendum magis idoneus videbitur, cuius partes erunt referre in librum certum omnia acta conuentuum videlicet locum; annum, mensem, & diem habiti con-

conuentus, qui pręsentes fuerint, quęstiones propositas, earumq; singularum explicationes, quid etiam iussu nostro promulgandum sit.

Curati omnes cuiuscunque dignitatis fuerint Vicariis ipsis loco cedant, atque in iis omnibus, quę ad illorum officium pertinebunt, humiliter obtemperent.

Conuentu absoluto Vicarius antequam sacerdotes discedant; quinimmò ipsis pręsentibus, eam ecclesiam breui, & quasi summatim visitet, prospiciatq; tantummodo qua ratione sanctissimum Sacramentum, & sacrę Reliquię asseruentur. Quomodo se habeant baptisterium, sacrarium, sacra olea, sacristia, suppellex ecclesiastica, & cętera id generis. Videat pariter an quę in his decretis, ac nostra visitatione constituta fuerunt executioni fuerint mandata, & de omnibus diligenter nos certiores faciat.

Scrutetur etiam breuiter, an Parochus diligenter fungatur officio suo, tàm in sacramentis ministrandis, quàm aliis Parochialibus muneribus obeundis, vitęq; sacerdotalis ratione, & si cui rei prouidendũ censuerit ad nos deferat, super quo eius conscientiam oneramus. Reliqua etiam in Conciliis Prouincialibus, ac litteris nostris priuatis sancita, vt executioni mittantur diligenter curet.

Pręter prędictos Conuentus, in qualibet etiam Parochia diœcesis, in qua quinque sacerdotes sunt, semel singulis hebdomadis Congregatio habeatur; in eaq; tractetur de rebus spiritualibus, de cœremoniis, ac ritibus ecclesiasticis, & aliis rebus, quę in visitatione particularium ecclesiarum decreuimus. Ad huiusmodiq; Congregationes conueniant etiam omnes clerici intra fines Parochię commorantes, & eos, qui huic Congregationi non interfuerint, Parochus ad nos deferat, vt nostro arbitrio puniri possint.

COMMVNIA DE DIVINIS Officijs.

SACERDOTES, ac clerici quicunque alicui ecclesię inseruientes, vel ascripti, etiam si ratione beneficii in ea resi-

resídere non teneantur, omnibus tamen diebus festis superpelliceo induti ad illam conueniant, & in choro Missam solemnem, ac Vesperarum officiũ canant, neque discedant, nisi toto officio penitus absoluto.

Versiculi, qui ab organo concinnuntur in choro etiam à clericis, vel à Mansionariis secundum cuiusuis ecclesiæ consuetudinem distinctè, & voce ita clara pronuncientur, vt ab iis, qui in choro sunt facilè intelligantur.

In organis præcipuè cum ad Missam, vel ad Vesperas, aliaue diuina officia pulsantur, ne quid lasciuum, aut impurum admisceatur. In eisdem etiam cantus ab ea sacra actione alieni; & qui prius probati non fuerint, non adhibeantur, canantur uè. Et si quis secùs fecerit seuerè à nobis punietur.

Cantores omnes etiam cantus, qui dicitur figuratus sint omnino clerici, si fieri potest; si vero ob ipsorum defectum laici admittendi erunt, ipsi quoque in choro, processionibus, funeribus, ac aliis actionibus ecclesiasticis habitu clericali, & superpelliceo induti sint ad præscriptum Concilii Quarti Prouinc. Nullus autem cantoris, seu musici, vel organistæ in ecclesiis sæcularibus munus suscipiat, nisi prius à nobis facultatem habuerit, sub pœna nobis arbitraria ex eiusdem Concilii decreto.

Titul. quæ ad Missi. pert.

Tit. eod.

Calendarium quotannis conficiatur à Cantore Ecclesiæ Cathedralis, vt diuina officia in tota diœcesi eadem ratione celebrentur. Sit autem omnino in lucem emissum in festo Natiuitatis Domini, & antequam edatur, nobis, vt illud recognoscamus, tradatur.

Strepitus ille, ac fragor, qui fieri solet tribus hebdomadæ sanctæ diebus, ad significandam in passione Domini nostri Iesu Christi rerum omnium perturbationem; semel tantum fiat, quolibet die post recitatam Matutini officii extremam orationem, ad præscriptum rubricæ breuiarii Romani.

Sabbatho sancto in quauis ecclesia tã sæcularium, quã regulariũ non ante pulsentur campanæ, quã in Cathedrali in ciuitate, vel matrice loci in diœcesi pulsatæ fuerint; vt etiam nunc multis in locis seruatur, sub pœna in Concilio Lateranensi sub Leone Decimo contenta.

De

DE FVNERIBVS, & exequijs.

SACERDOTES, & clerici omnes tàm sæculares, quam regulares, cum ad funus conueniunt, à nugis, risu, colloquiis, confabulationibus, vanoq; oculorum aspectu abstineant, in eoq; concelebrando ita se gerant, ac animi pietati, corporis compositionem, habitum atq; vultus religiosam grauitatem adiungant, vt facile ipsorum exemplo, qui adsunt; non modò ad orandum pro defuncto verum etiam ad mortem, quæ ante oculos in ea funebri actione ponitur meditandam inuitentur.

Nulla Crux in funeribus deferatur prçterquam Parochialium, Collegiatarum; Confraternitatum, ac aliarum ecclesiarũ, quæ clerum habent subsequentem ad Conc. primi Prouinc. præscriptum. Quod si Capellani Monialium, vel Rectores simplicium ecclesiarum ad funus associandum inuitati fuerint, crucē Parochialis Ecclesiæ defuncti subsequantur. *Tit. de fune. & exequi.*

Officium pro defunctis ex præscripto Ritualis Brixiensis agatur quoad vsque Rituale nouum Romanum editum erit. Vbi tamen pia consuetudo est canendi nocturnum ante Missam, & post eam litanias, aliasuè preces, ea omnino seruetur.

Laici Confratres in ecclesia publicè, & alta voce preces pro defunctis non recitent, aut canant, antequam sepulturæ corpus traditum sit, ad præscriptum Concilii Sexti Prouin. & visitationis Apostolicæ. *Titul. quæ ad funer. pert.*

Priusquàm oriatur, vel postquam occiderit sol, nulla funera efferantur.

Quando Capitulum ecclesiæ Cathedralis ad funus associandum, vel ad aliqua officia pro defunctis peragenda inuitatum fuerit, clerici omnes etiam Regulares ad idem funus inuitati cuiuscunque dignitatis sint in ipsam Ecclesiam Cathedralem congruo processionis ordine conueniant, iuxtà antiquam consuetudinem. Dignior autem ex Capitulo, qui tunc aderit, pluuiali, & stola vtatur, ac ad domum defuncti officium, preces, & orationes ad prçscriptum Ritua-

lis antequam cadauer efferatur recitet, reliquasq; cœremonias adhibeat.

Si aliquis ordo tam clericorum sæcularium, quam Regulariũ, Confratrumuè laicorum hora à Parocho præscripta ad ecclesiam non conuenerit, vlterius non expectetur; sed Parochi, vel si aderit Capitulum Cathedralis, Præfecti chori iudicio domum in qua iacet defunctus se conferant, & ad cadauer sepulturæ tradendum procedant.

Nullus clericus, siue sæcularis, siue Regularis funeribus, Missis, & officiis pro defunctis in ecclesiis sæcularibus interesse permittatur, qui ueste talari, & superpelliceo, vel alio habitu suo ordini congruenti indutus non sit, neminiq; liceat ocreas habere, aut pileo vti, sub pœna vnius aurei cuilibet in casu inobedientiæ auferendi, quem ex nunc sacristiæ illius ecclesiæ in qua officia celebrantur, applicamus. Si qui vero inuitati ire nequiuerint, & alios miserint, ne emolumentum, vllamuè eius partem ipsi accipiant, nec qui mittuntur plus capiant, quam si proprio nomine vocati conuenirent, ad præscriptum Conc. Prouinc. quarti.

Eod. tit.

Si ad exequias, funera, aliaué pro mortuis officia obeunda in quauis ecclesia, aut oratorio etiam Confraternitatum laicorum, sacerdotes alii sunt vocandi, in primis vocetur Parochus, intra cuius limites erecta est ecclesia, seu oratoriũ.

Candelæ, quæ in officiis, anniuersariisq; defunctorum peragendis integræ dantur, propriis manibus omnino accensæ teneantur, non autem eis asseruatis, alię, quę sint semiustę adhibeantur, sub pœna amissionis illius candelę ipso facto vsibus sacristię dictę ecclesię applicandæ; neque lumina in funere, vel exequiis data prius extinguantur, quàm offitium expletum fuerit.

De eleemosyna danda Parochis, & aliis clericis in funeribus, ac exequiis, vbi ex antiqua consuetudine aliud hactenus seruatum non fuerit, seruetur decretũ synodi diœcesanę Lauden. sub Reuerendiss. Scarampo habitę. Non liceat tamen Parocho quando cadauer extra fines parochię sepelitur, vltra nummum aureum etiam prętextu cuiusuis consuetudinis ab heredibus defuncti petere. Eleemosyna vero in ecclesia cœmeterioue, aut spectante populo, sed eo remoto,

& loco separato exequiis, officiisuè peractis distribuatur, sub pœna amissionis suæ portionis Parocho, aut chori Præfecto in ecclesia Cathedrali, vel Collegiata si aliter fieri permiserint iniungenda. Et qui funere, officioue non peracto discesserit, vel non steterit, aut sederit in choro, aut altero loco assignato, omni eleemosyna eius officii, aut funeris careat.

Si in officiis mortuorum certus Missarum numerus ex legato, aut alia ratione præscriptus est, illis tantummodo sacerdotibus eleemosyna distribuatur, qui Missam dixerint in ecclesia vbi officia celebrantur. Si autem sola pietate, voluntateq; hæredum, aut aliorum illa celebrantur, sacerdos, qui alibi Missam dixerit, officio tamen interfuerit, poterit habere eleemosynam, dummodo hæredes sciant eum alibi celebrasse, ipseq; pro eisdem defunctis eo die in propria ecclesia Missæ sacrum fecerit.

Anniuersaria certis constitutis diebus agantur. Quod si iis diebus ob sancti alicuius celebritatem, officiiuè rationem agi non possunt; fiant die proximo sequenti, vel præcedenti quo possunt. In diœcesi vero ea non fiant à Dominica passionis, vsque ad octauam Paschæ, & per duos saltem dies ante festum Pentecostes, Natalem Domini, Corporis Christi solemnitatem, ac Beatæ Virginis Assumptionem, & per quattuor dies ante Iubileum quando conceditur, vt tūc temporis Parochi à sua ecclesia minime recedant, meliusq; fidelium confessionibus audiendis vacare possint.

Si ad Missæ sacrum faciendum, aliauè officia peragenda in funere, exequiis, ac etiam in diei festi celebritate, sacerdotes alienæ diœcesis conuocandi aliquando sunt, ii solum admittantur, quos sui ordinarii testimonio, vel aliunde constabit, non esse aliquo modo suspensos, quominus Missam celebrare queant, nec etiam admittantur nisi veste talari, ac superpelliceo, eoq; habitu, qui reliquis huius diœcesis clericis præscriptus est, induti; & à Vicario foraneo ante probati fuerint ad Missæ sacrum, & diuina officia ritu Romano, ad præscriptum Rubricarum Missalis noui, & Ritualis Brixiensis celebranda, præsertim qui ritu Ambrosiano Missam celebrant.

Pallia, aut alia ornamenta altarium vsui iam dicata pro feretris, aut tumbis ornandis nullo modo adhibeantur, sub suspensionis pœna quoad particulares personas; quo verò ad capitula, & Collegia interdicti, quod etiam Regulares obseruent, ex decreto visitationis Apostolicæ.

Titulo de fun. Decretum Conc. Prouinc. Sexti de anniuersariis, septimis, & trigesimis, quæ infra hebdomadam celebranda fuerint die Dominico præcedenti à Parocho denunciandis, omnino executioni mandetur.

In qualibet ecclesia in qua plura anniuersaria, & officia pro mortuis sunt peragenda, in certo libro notetur, quo die in singulos annos, & quot quibusue sacerdotibus adhibitis id faciendum sit.

Cum defuncti hæredes, aut propinqui prandium, seu ientaculum in diœcesi iis clericis, qui ad funus ducendum, aut exequias, vel anniuersaria pro mortuis celebranda conuenerint, exhibent, domi tantummodo illius Parochi paretur, in cuius ecclesia officia pro defunctis fuerint celebrata, nunquam vero in domo hæredum, vel propinquorum ipsius defuncti, nec minus in caupona.

Ne thesaurus indulgentiarum à Gregorio XIII. orantibus pro defunctis hora ab Episcopo præscripta concessarum pereat, & quantum possumus piorum fidelium animabus succurramus; præcipimus omnibus Parochis diœcesanis, vt quilibet ipsorum hanc orationem in sua Parochia introducat, pulsando campanam, in æstate hora prima, in hyeme vero hora secunda noctis, prout in vrbe ipsius orationis significationem in Basilica Cathedrali tantum eadem hora dari mandamus. Hortentur autem Parochi sæpe suos parochianos ad hanc orationem dicendam proponendo dictas indulgentias iis concessas, qui pro mortuis iuxta litteras supradictas orauerint.

Insignia familiarum, quæ in funere parietibus ecclesiæ affiguntur, ita ponantur, vt exequiis de more absolutis, absq; parietum detrimento, aut deturpatione facilè tollantur.

DE PROCESSIONIBVS.

CVM aliquæ processiones pro imploranda Dei misericordia agendæ sunt, fiant feria secunda, quarta, & sexta, vel sabbatho. Si vero pro gratiarum actionibus agantur die Dominico, aut feria quinta, nisi necessitas, aut temporis breuitas aliud postulauerit.

Ad generales processiones vocati clerici omnes sæculares, & regulares, Capitula, & sodalitates quæcunque hora à nobis præscripta ad Ecclesiam Cathedralem, vel ad eam, à qua prodeundum erit, conueniant ad præscriptum sacri Concil. Tridentini & Prouincialis primi. Cathedralisq; crucem vsque ad finem processionis comitentur, sub pœna arbitratu nostro contumacibus constituenda; & qui non venerint antequam Capitulum ecclesiæ Cathedralis ab ea discedat, pro absentibus habeantur. Post inchoatam autem processionem, Sodalitates, aut alia Collegia in illam se ingerere non audeant, cum ex hoc sæpe contingat, non sine graui populi offensione, processiones perturbari. Sess. 25. c. 13. de regul. Titulo de process.

Cruces, sacrarum imaginum insignia, & vexilla ecclesiastica clerici superpelliceo induti, vel si Regularium sint, eorum aliqui in clericali ordine constituti decenter præferāt. Quibus duo lumina candelabris, ceroferariisuè infixa etiam si in ecclesiæ ambitu processio agatur, ab omni cuiusuis ordinis clero omnino adhibeantur. Non tamen propterea vetitum sit Confratriarum insignia, & Cruces ab earum laicis hominibus Disciplinatorum habitu vestitis gestari.

Instrumentis musicis cuiusuis generis in processionibus vti interdictum sit.

Omnes clerici sæculares superpelliceo mundo, & non lacero induti sint; Regulares vero habitu eorum ordini conuenienti, ac bini incedant.

Nullus habeat præ manibus chirothecas, floresuè, sed breuiarium, seu diurnum. Litanias etiam, aut psalmos, hymnosuè supplicationi, quæ agitur congruentes, communiter, & clara voce decantent: abstineantq; à risu, colloquiis, & negotiorum cuiusuis generis pertractatione, neque minus audeant gerere galerum, aut pallium, nisi tempore pluuiæ.

Laici in processionibus esculentum aliquid, aut poculentum non deferant, nec vendant, prout Conc. Prouinc. primo, & visitatione Apostolica cauetur.

Tit. eod.

Processiones noctu etiam à quibusuis laicorum Confratriis sine nostra licentia nunquam fiant, & cum permittuntur, illis mulieres interesse sub excommunicationis pœna omnino prohibemus, ad præscriptum Conc. Prouin. Sexti.

Titu. quæ ad Confr. pert.

Clerici, aut electi à nobis pro dirigendis processionibus munus suum diligenter obeant, clerumq; procedentem dirigant, tùm etiam populum in ordine cōsistere, & cum opus est subsistere faciant. Mulieres velatas, & à viris separatas incedere, cæteraq; huiusmodi in ipsa etiam via moneant.

Repræsentationes omnes, ac inania spectacula prohibemus. Parietes etiam peristromatis, aulęisq; obscœnis figuris intextis, imaginibusuè, & signis aliarum rerum, quæ cultui diuino, & rei diuinæ repugnent non ornentur; maximaq; solertia vnusquisq; Parochus in cuius Parochiæ finibus processionaliter transitur hoc decretum seruari curet ne fideliū animi qui rebus diuinis contemplandis tunc temporis intenti esse debent, inani quadam voluptate relaxentur, & in eis christiana pietas retardetur. In ecclesiis etiam Regularium cum ad eas processionaliter conuenitur, expedit, vt Missæ nō celebrētur, ne à processione populus distrahatur.

In omnibus processionibus circa pertinentia ad ecclesiasticam disciplinam, illasq; pias functiones ritè obeundas, omnes clerici, Ecclesiæ Cathedralis Præfecto obediant, nullusq; præter ipsum aliquid statuere possit.

In processione solemni, quæ fit in die Corporis Christi præter superius dicta, hæc etiam obseruentur. In altaribus in vis paratis nullæ res profanę, nec vasa aliqua ad alios vsus, quàm ad sacros destinata ponantur. Proponant etiam Parochi quàm sæpius poterunt indulgentias concessas iis, qui collegiatim sub vexillo suæ ecclesiæ conuenerint ad visitationem alicuius loci, vel ad processiones, prout in litteris Apostolicis in fine huius synodi impressis plenius continetur.

Vt in processionibus vnicuiq; locus debitus iuxta personarum qualitatem assignetur, nec perturbatio aliqua, quæ scanda-

lum

lum generare possit, oriatur; Decernimus quod in posterũ sub vexillo sancti Bassiani vniuersus Clerus sęcularis hoc ordine incedat. Primo Clerici in minoribus ordinibus constituti, tùm Subdiaconi, Diaconi, Presbiteri non beneficiati, postea beneficiati, demùm Vicerectores Parochialium ecclesiarum, earumq; Rectores, & vltimo loco Prępositi ante Crucem sancti Laurentis, sub qua incedant omnes choro illius Ecclesię inseruientes, eamq; sequatur Crux Ecclesiæ Cathedralis vnà cum clericis etiam Seminarii, Custodibus, Mansionariis, reliquisq; eidem similiter inseruientibus; postrema sit Crux Capituli cum Canonicis, & dignitates in ea obtinentibus.

QVÆ AD HOSPITALIA, Confraternitates, & pia loca pertinent.

QVÆ Tridentino & Prouincialibus Conciliis de hospitalibus, fabricis ecclesiarum, atque aliis locis piis sancita sunt, omnes ad quos spectat diligenter exequantur, & obseruent. Præcipua verò cura adhibeatur, vt illorum omnium administrationi pręficiantur viri graues, pii, prudentes, prouidi, & probatissimorum morum, quique sciant, possint, ac velint loca ipsa rectè regere ac moderari eorum iura tueri, & defendere necnon prouentus, ac redditus piè & fideliter dispensare.

Administratores huiusmodi postquam electi fuerint, antequã administrationi se ingerant, iurent se fideliter, & diligenter munus suum obituros, studioseq; curaturos, vt bona redditusuè in destinatos vsus conuertantur, prout Concilio primo cauetur. Titulo de adm. pior. loc.

Is cui hospitalis cuiusuis cura committitur, sit vir fide, pietate, moribus, & charitate quantum fieri potest, probatus. Caueat autem ne à quoquam cum hospitium ingreditur, aut inde discedit, quidquam vel minimum exigat, aut petat, immo ne sponte quidem oblatum accipiat. Curet etiã, vt cum infirmi hospitale ingrediuntur, statim peccata confiteantur, ægrisq; opportunè sacrum Viaticum, & Extremę

Vnctionis Sacramentum ministrentur, ac alia pia officia moribundis præstentur, morientis verò vniuscuiusq; nomen, cognomen, patria, & dies obitus in codicem certum referantur.

Doctrinæ christianæ rudimenta in hospitali, vbi infantes expositi aluntur, tradantur statis diebus. Præscribatur etiam certa hora, qua ictibus paruulę campanæ conuocati, ad piè precandum conueniant. Cura autem sit sacerdotis curam animarum in hospitali exercentis, vt quæ ad eorum salutem pertinent, executioni mittantur.

In Hospitali mares seorsum à fœminis maneant, nec vnà versentur vnquam, nisi constet eos matrimonio iunctos esse; pueri etiam vnà cum adolescentioribus, maioribusq; natu non cubent, nec benè valentes cum infirmis.

Conueniens esset, vt in hospitalibus adesset locus à cæteris disiunctus pro clericis, religiosisq; hominibus, & etiam aliquanto decentius paratus, si commodè fieri possit, pro gradus, & dignitatis reuerentia.

Hospitalarius conualescentes ne statim eiiciat, sed tum demũ cum benè cõfirmati fuerint, dimittat, ne in grauiorem morbum rursum incidant. Eos vero, qui rectè valent; vltra triduum in hospitali commorari non permittat, nisi eius loci institutum aliud postulet iuxta Conc. Prou. V. Decreta.

Tit. eod.

Qui pecuniam hospitalibus, aliisuè piis locis, vel Confraternitatibus debet, nullo modo fiat eorum minister, sindicus, vel procurator, neq; eidem illorum bona locentur. Quicunq; vero fuerint conductores, dent idoneum fideiussorem, cum quo æque, ac cum principali, iure agi possit, & vbi secus factum fuerit contractus ipsi irriti sint, & inanes ad præscriptum Conc. Prouinc. primi nisi fideiussionem eiusmodi ex iusta causa nos remittendam esse censuerimus.

Tit. eod.

Legata omnia, & onera, quæ hospitali, aut pio cuicunq; loco imminent, in libro distinctè describantur quamprimum; eiusq; libri exemplum publici notarii, aut eius loci Cancellarii manu subsignatum in Archiuium Episcopale deferatur. Sint etiam breuiter descripta in tabella ad parietem affixa in lo[co] vbi Congregationes fieri solent vnà cum certis anni temporibus, quibus singula persoluenda sunt.

In principio, & fine Congregationum recitentur preces in officio Beatæ Mariæ ad hunc vsum descriptæ.

Sodalitates vulgò Disciplinati nuncupati regulas ipsis præscriptas seruent omninò.

In illas non recipiantur, qui prima fidei rudimenta ignorant, cuiuscunq; dignitatis sint, vel ætatis.

E singulis sodalitatibus in diœcesi eligantur quattuor, aut duo saltem viri eruditiores, qui diebus festis in scholis doctrinę christianę solicitè Parochos sua opera, ac studio iuuent.

Vesperę quo tempore in Cathedrali Ecclesia, vel in Parochialibus celebrantur, ab ipsis sodalibus non recitentur, sed illas ante, vel post recitent; dummodò doctrinę christianę scholis aliquod impedimentum non afferatur ad prę scriptũ Conc. Prouin. Quinti. In diœcesi vero nec etiam Missam celebrari facere illis liceat antequam sermo in Missa Parochiali fuerit finitus ex decreto visitationis Apostolicę, nisi vbi fortassis pro populi commoditate, vel aliqua iusta de causa, aliter per nos ordinatum fuerit. Titu. quæ ad Conf. pert.

In eorum ecclesiis, seu oratoriis sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum non asseruetur, neq; ad adorandum, vel pro quadraginta horarum oratione exponatur, nisi ex Priuilegio Apostolico id eis licere intra mensem ostenderint, & tunc in eius positione seruentur Regulæ in Conc. Prouinc. Quarto, ac superius in Capitulo de oratione quadraginta horarum præscriptæ sub pœna suspensionis Capellano, & alia graui Confratribus, arbitrio nostro infligenda, si prædictis contrauenerint. Titulo de sac. Ench.

Nulla defunctorum cadauera in eorum ecclesiis, seu oratoriis sepeliantur, nisi ius sepeliendi Priuilegio, aut legitima consuetudine firmatum ipsis competere docuerint, & eo casu Confratres tantum ipsos, qui per sex menses ante mortem inter sodales descripti fuerint, ac in articulo mortis ibi quoque elegerint sepulturam, nullumq; alium sepeliri liceat. Officium vero super cadauere fiat à Rectore Parochialis ecclesię intra cuius limites oratorium est constructum, prout Conc. Prouinciali Quinto cauetur, & sacra Cõgregatio Illustrissimorum Cardinalium declarauit sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda eorum Capellano, aut alii cuiuis Titul. quæ ad Conc. pert.

sacer-

sacerdoti qui hoc munus absque nostra licentia obire præsumpserit.

Ad processiones vocati promptè accedant sub pœna à nobis constituenda: cum vero collegiatim eas obeunt, adhibeant Capellanum aliumue Sacerdotem superpelliceo indutum, qui solus digniorem locum inter eos teneat, & eam religiosam actionem dirigat ad præscriptum eiusdem Conc. Prouincialis Quinti.

Tit. eod.

Diebus festis Congregationes non habeant, dum solemnes Missæ celebrantur, vel prædicatur verbum Dei, aut in diœcesi Parochus proprius Missam celebrat, & ad populum sermonem habet sub pœna nobis arbitraria.

nota.

Non liceat alicui Confraternitati eleemosynas quæritare, nec collectas, aut oblationes inter Missæ sacrificium fieri facere absq; scripta nostra facultate quotannis renouanda ex decreto Visitationis Apostolicæ. Qui vero eleemosynam petent sint viri bonæ existimationis, non autem ex Quæstoribus à sacra Tridentina Synodo damnatis, nec vllo modo participes eleemosynarum: quod si gratis id prestare noluerint, aliqua merces illis constituatur.

Sess. 21. c. 9. de refor.

Administratores, seu Deputati, vel officiales huiusmodi Confraternitatum, hospitalium, & aliorum quorumcunque locorum piorum, seu fabricarum ecclesię vltra annum in administrationis munere non perseuerent, nisi aliter in fundatione, aut ex Priuilegio Apostolico cautum sit. Reddant autem singulis annis rationem suæ administrationis nobis, aut alteri à nobis ad id constituto, liberatioq; eis non fiat, nisi nobis pręsentibus, & consentientibus, alioquin nulla censeatur, ad pręscriptum sacri Trident. Concil. & Sexti Prouinc.

Sess. 22. c. 9. de refor. Titu. quæ ad Conf. pert.

Capellani ad Missas celebrandas, vel Pœnitentię sacramentũ ministrandum in Confraternitatum ecclesiis deputati, Confratribus tantum illud ministrent; nisi specialem licentiam à nobis cęteris etiam fidelibus ministrandi habuerint. Caueant autem ne Confratres, aliosuè quoscunque à casibus nobis reseruatis sine nostra scripta facultate absoluant, ac in reliquis etiam declarationes à sacra Congregatione Illustrissimorum Cardinalium confectas, & hæc nostra decre-

ta

ta obseruent, sub pœna suspensionis, & alia arbitratu nostro infligenda.

DE REGVLARIBVS.

CVM Regulares viri quò arctius religiosæ vitæ præceptis se adstrinxerunt; eò etiam accuratius illa obseruare debeant; ipsos admonemus, vehementerq; in Domino obsecramus, vt ad eius regulæ formam, quam votis sanctè emissis profitentur, vitam religiosè instituant, omnibusq; Christi fidelibus se (vt ait Apostolus) in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, & in castitate exemplum præbeant.

Cùm verò ad hominum deuotionem, & pietatem excitandam plurimum prosint ecclesiarum ornatus, & rerum cultui diuino necessariarum decens apparatus, omni studio, & diligentia intra duos menses exequantur, quæ decretis Visitationis Apostolicæ, & nobis; quibus eadem decreta exequi faciendi onus incumbit de ecclesiarum, capellarum, & altarium cultu, ac ecclesiastica suppellectili comparanda constituta fuerunt sub pœnis in eisdem decretis contentis. Quę etiam de sacramento Pœnitentiæ, de non absoluendo à casibus nobis reseruatis, de modo seruando in sanctissima Eucharistia asseruanda, eaq; pro oratione quadraginta horarū exponenda, ac aliis ad ipsos spectantibus, decretis tam in prædicta visitatione Apostolica quàm in Conc. Tridentino & primo Prouinciali sancita sunt, iuxtà præscriptum litterarum Pii Quinti studiosè, sanctèq; obseruent.

Meminerint decreto visitationis Apostolicæ eis iniunctum fuisse, vt ab ea corruptela potissimum caueant, ne soli, sed bini per vrbem incedant.

Dies festos in vrbe, vel diœcesi indictos, & indicendos rectè colant ad præscriptum Conc. Tridentini, curentq; omnes quantum per eorum peculiares ritus licebit in diuinorum officiorum recitatione Laudensis Ecclesiæ calendarium sequi. Id verò omnino præstent, qui more Romano horas canonicas recitant, prout visitatione Apostolica eis expresse mandatur. Sess. 25. c. 12. de regul.

Curam animarum exercentes ad Congregationes, quæ ſingulo menſe fiunt vnà cum cæteris Parochis conueniant, easque etiam ipſi habeant; Monaſterii cuius nomine curam exercent, ſumptu: & ſynodo diœceſanæ interſint.

Cenſuras, & interdicta à nobis emanata promulgent; & obſeruent ad præſcriptum ſacri Conc. Tridentini eiuſdemq; viſitationis Apoſtolicæ, & Conc. Prouinc. Quinti.

Seſſ. & c. eiſdem. Titulo de Epiſc. iuriſd.

Peregrinos ſacerdotes, qui eorum ordinum non ſunt, in ſuis eccleſiis Miſſæ ſacrum facere non permittant ſine noſtra ſcripta facultate; neque ipſi Regulares in aliqua eccleſia ſæculari celebrandi Miſſam munus ſuſcipiant, abſque ſimili facultate, iuxta decreta viſitationis Apoſtolicæ, & Concilii Prouin. primi.

Titu. quæ pertin. ad Miſſ. cel.

Seſſ. 24. c. 4. de refor.

Licet Regulares ab eorum Superioribus concionandi facultatem habeant, in ſuis tamen eccleſiis, vt Tridentino Concilio ſancitum eſt, non concionentur, niſi benedictionem ab Epiſcopo ante obtinuerint. In eccleſiis vero, quæ ſui ordinis non ſunt, nullo modo, niſi habeant à nobis ſcriptam facultatem, eamq; antequam concionandi munus aggrediantur, Rectoribus Eccleſiarum in quibus concionaturi ſunt, exhibeant. Nullibi tamen concionari incipiant, niſi prius fidei profeſſionem coram nobis aut Vicario noſtro fecerint, illam vel feciſſe teſtimonium ſcriptum exhibuerint.

Omnes etiam, qui ritu Romano celebrant in Domino obſecramus, vt ſacras cœremonias, reliquaq; omnia in Rubricis Miſſalis noui, & in hac ſynodo de Miſſarum celebratione ſancita ritè, rectè, ac diligenter obſeruare ſtudeant; veluti illud, vt ad ſanctiſſimum ſacramentum ad bradellam vſque genuflectant, non caput dumtaxàt inclinent, & alia etiam grauiora.

DE MONIALIBVS.

MONIALES Chriſto dicatæ, & mundo iam abſconditæ maximum certe præſidium eccleſiæ periclitanti afferre poſſunt aſſiduis orationibus, ieiuniis, aliiſq; vitæ ſpiritualis exercitationibus, quibus maximè ira Dei placatur, ſi quemadmodum virginita-

tis

tis flore decoratæ earum cœlesti sponso gratiores sunt; ita deuotionis zelo, sanctoq; charitatis igne accensæ fuerint.

Quare ne cum fatuis virginibus à sponsi nuptiis excludantur, studeant ad antiquæ, sanctæq; disciplinæ normam se conformare; meminerintq; quod sicut Deo gratissimum est illud sacrificium, quod in Regulari professione offertur; ita vouentibus plurimum nocet, si negligenter perficiantur, quæ in votis continentur. Et ne aliqua excusatio ignorantiæ ¦eis relinquatur nonnulla de paupertatis, castitatis, & obedientiæ votis, de clausura, ac aliis ad illarum vtilitatem, & viuendi formulam spectantibus in visitatione cuiuslibet monasterii pro temporum, & locorum conditione à nobis sancita fuerunt: quæ huius etiam decreti virtute ab omnibus Monialibus cuiusuis ordinis inuiolabiliter obseruari mandamus, sub pœnis in eadem visitatione contentis, ac etiam grauioribus arbitrio nostro irrogandis. Curet autem Præfecta, vt Moniales sæpe legant librum illum vulgari sermone editum, in quo continentur decreta Conciliorum Prouincialium ad ipsas spectantia prout visitationis tempore mandauimus; habeanturq; quattuor saltem ex illis in quolibet monasterio.

Præter diligentiam à nobis ea in re adhibendam, cuiuslibet monasterii Pręfecta, antequam puella sacrum habitum suscipiat, parentes, aut eos, qui illius curam gerunt, admoneat grauissimam excommunicationis pœnam subire omnes illos, qui minis, ac versutis pollicitationibus alioquè modo eam ad sumendam sacram vestem impellunt; exploret etiam quo spiritu puella ducatur, liberane, an coacta sit eius voluntas, & an religiosę vitę institutis, disciplinęq; apta sit; nullo enim modo admitti debet, quę deinde monasterii institutis se conformare nequeat, aut nolit.

Instruatur pariter quid sibi velint solemnia illa religionis vota, & cuiusmodi ea regula sit, cuius legibus, ac pręceptis vitam omnem in monasterio traducere, & Christo Domino inseruire tenetur; necnon quę onera subire, quęue officia, & munera exequi sępenumero necesse erit.

Cum puella recepta erit (seruatis prius, quę in Conciliis Prouincialibus & nostris decretis sancita sunt) quoadusque ha-

bitus suscipiẽdi tempus adueniat, vestes delicatas, earumq; inanem ornatum, & pompę ostentationem abiiciat, ac nigro, aut fusco, vel albo vestitu, non tamen serico vtatur. A choreis, spectaculis, & profanis vigiliis, vbi pręsertim viri intersunt, caueat, librorumq; spiritualium, quos Confessarius probarit assidua lectione delectetur.

In singulos menses Confessario monasterii in quod ingredi voluerit, si commodè potest, confiteatur, ac sanctissimam Eucharistiam sumat, & priusquam illud ingrediatur, Confirmationis sacramentum suscipiat, si illud nondũ susceperit.

Die à nobis statuta ad monasterium absque pompa, & à mulieribus tantummodo sibi intimis ac propinquis deducatur, adhibitisq; religiosis cœremoniis ad pręscriptum libelli ad hunc vsum iussu nostro impressi, habitum religionis sacrum à nobis, aut ab alio sacerdote idoneo, quem nos elegerimus ex fenestella communionis sumat.

Confessores, & Capellani, cęteriq; monialium ministri quidquid illis ob laborem persoluendum erit, in pecunia numerata accipiant. Caueant autem omnino, ne ab aliqua moniali, etiam si sit Pręfecta, & monasterii nomine id detur, quidquam quamuis minimum, nec etiam esculentum, aut poculentum etiam per interpositas personas accipiant, sub pœna suspensionis, ac grauiori arbitratu nostro irroganda.

Nulli sacerdoti siue sęculari siue Regulari liceat Missam in monialium ecclesiis, etiam extraordinariè celebrare, nisi scriptam facultatem à nobis habuerit, sub pœna suspensionis.

Capellani à monialibus munus celebrandi Missas priuatim nõ suscipiant, sed tantum à Pręfecta, vel à sacrista, neq; cum aliqua Moniali colloquantur vnquam, pręterquam cum his duabus, & de rebus solum ad suum munus spectantibus sub graui pœna tam Monialibus, quàm ipsis Capellanis arbitrio nostro irroganda.

DE TESTIBVS SYNODALIBVS.

TESTES synodales in synodo diœcesana electi, vt officio suo rectè fideliterq; fungantur, & quam debent opem nobis in diuino cultu augendo, christianaq; morum disci-

disciplina restituenda afferant; perpetuò meminerint se nõ cuiusuis amore, vel odio, non præmio, non metu, non cognatione, aut quouis alio affectu induci, vel impediri debere quominus liberè, & integrè nobis ad constitutum tẽpus significẽt quæcunq; correctione indigere cognouerint; & inter cætera accuratè, sine tamen vlla iurisdictione, inuestigent, quæ sequuntur.

An Parochi munus suum qua debent solicitudine obeant in sacramentis ministrandis præcipuè ęgris, in tradendis pueris vitæ christianæ doctrina, in pascendis verbo Dei fidelibus, ac denique in omnibus aliis Parochialis muneris partibus; & an ita se gerant, vt nullum populo præbeant offendiculum.

An qui residere debent prędentes sint in ecclesiis suis, suaq; ipsi personaliter obeant munera.

An reliqui clerici in debito se contineant officio, ac ecclesiis quibus ascripti sunt, inseruiant.

An seruentur quæ de vita, & moribus clericorum in Conciliis Prouincialibus, & his nostris decretis continentur.

An ecclesiæ sartæ tectæ, & suppellectili ecclesiastica decenter ornatæ sint, in earumq; cœmeteriis aliquid incultum, ac à religioso cultu, pietateuè alienum sit.

An in Monialium monasteriis debita clausura seruetur.

An Regulares alicuius publici scandali causam dederint.

An quæ de pia in ecclesiis versandi ratione, festorum dierum cultu, & ieiuniorum obseruatione à nobis constituta sunt ritè, & rectè obseruentur.

An decimæ, & pia legata ab illis, ad quos pertinet, soluantur.

An adsint concubinarii, blasphemi, vsurarii, aleatores, & pręsertim hæresis labe notati, aliiuè publici peccatores, & criminosi.

An quæ Romanorum Pontificum sanctionibus, & Tridentino, Prouincialibusq; Conciliis, & synodis diœcesanis, ac nostris edictis sancita sunt, ab iis, ad quos spectat, seruentur.

Hæc, & quęcunque alia huiusmodi morum corruptelis deprauata, quæ reformatione indigere animaduerterint, singula ordine notata ad nos referant summa integritate, prout iureiurando sanctè obstricti sunt.

QVÆ GENERATIM AD HÆC Decreta pertinent.

QVONIAM frustra Constitutiones, & Decreta conduntur, nisi etiam obseruentur, & eis pareatur; ideo omnes, & singuli ad quos spectat has nostras Constitutiones pro viribus suis exequi studeant, & qui negligentes, aut contumaces fuerint, sciant se pœnas in eis contentas, & alias tam iure Canonum, quã Concilio Tridentino ac arbitrio nostro pro culpę grauitaté constituendas persoluturos. Quibus autem decretis, aut delictis nullas pœnas prę scripsimus, iis arbitrio nostro praescribendas esse decernimus.

Horum decretorum librum vnusquisque sacris ordinibus initiatus, aut beneficium ecclesiasticum obtinens ad mensem postquam impressus fuerit sub pœna quatuor aureorum sibi comparet, & frequenter legat, ac diligenter, quę in eis continentur exequi studeat; intelligantq; omnes certum tempus, quo aliquid præstari iubemus à fine mensis prædicti initium sumere.

Declaramus autem his nostris synodalibus Decretis nihil esse derogatum illis, quę in visitatione particularium ecclesiarum confecimus, nisi contra, non pręter decreta hęc aliquid contineant, nec minus synodo à Reuerendissimo Scarampo editæ, nisi vbi de derogatione fit specialis mentio.

Quę de rebus materialibus ecclesiarum, ac suppellectili sacra conficienda his decretis sancita sunt, ea omnia fiant quo magis fieri poterit ad formam in libello instructionum fabricę ecclesiasticę, ad vsum Prouinciæ Mediolani impresso, pręscriptam.

FINIS.

[illegible]ICTVM

[illegible]

LVDOVICVS [illegible]

[illegible]

EDICTVM

De denunciandis hæreticis, hæresumuè nomine suspectis, & iis, qui libros prohibitos tenent.

LVDOVICVS TABERNA, Dei, & Apostolicæ sedis gratia, Episcopus Lauden. & Comes &c.

INTER cæteras pastoralis officii curas, illa præcipua esse debet, vt omni studio, ac diligentia Hæretici tanquam rapacissimi Lupi ab agnis dignoscantur, agnitiq; coerceantur, & ab hoc pessimo lethaliq; morbo ad perdendas fidelium animas disseminato, loca omnia omnino expurgentur. Quare nosmumeri nostro in re tàm salutari, & planè necessaria quantum in nobis est, satisfacere volentes, hoc edicto omnes, & singulos vrbis, diœcesisq; nostræ Christifideles tàm ecclesiasticos, quàm laicos quauis dignitate, gradu, honoreuè præditos requirimus, & monemus, eisdemq; sub excommunicationis latæ sententiæ pœna iubemus, vt si eorum quispiam iam scit cuiusuis sectæ Hæreticos, aut hæresis nomine suspectos homines, vel quouismodo à fide catholica aberrantes, aut eorum sectatores, fautores, defensores, illis credentes, vel hæreticalia verba proferentes, aut qui hæreticale quidquam egerit hæreticorumue libros, aut scripta quæcunque hæresim continentia, aliauè id generis, sedis Apostolicæ auctoritate quouismodo prohibita legat, legerituè, aut scienter apud se habeat, habuerituè infra decem dierum terminum post edicti huius promulgationem. Si verò sciet in posterum infra decem dies postquam id norit, illos omnes, & singulos denunciet, Parochis præterea vniuersis, ac singulis in virtute sanctæ obe-

dientiæ ac sub suspensionis à diuinis, aliisq; arbitrio nostro infligendis pœnis mandamus, vt edictum hoc vulgari sermone summatim expressum cum particula Bullæ in die Cœnæ Domini legi solitæ ad hæreticos pertinente bis in singulos annos ad Concilii Prouincialis secundi præscriptũ in Aduentu scilicet, & Quadragesima cùm populus in Missæ sacro frequentior aderit de scripto euulgent. In quorum fidem præsentes fieri sigilliq; nostri impressione muniri iussimus. Dat. Laudæ in ædibus Episcopalibus. Die Mensis Anni 1591.

Tit. 1. decre. 1.

PARS LITTERARVM PROCESSVS contra eosdem die Cœnæ Domini editi.

NOS igitur excõmunicamus, & anathematizamus ex parte Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus sancti, auctoritate quoque beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra quoscunque Hussitas, Vuicleuitas, Lutheranos, Zuinglianos, Caluinistas, Vgonottos, Anabaptistas, Trinitarios, & omnes, & singulos alios Hæreticos quocunque nomine nuncupentur, & cuiuscunque sectæ existant, & eorum credentes, ipsorumq; receptatores, & fautores, & generaliter quoslibet defensores, ac eorundem libros sine auctoritate nostra, & sedis Apostolicæ scienter quomodolibet legentes, aut tenentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quauis causa publicè, vel occultè, quouis ingenio, vel colore, necnon Schismaticos, qui se à nostra, & Roman. Pont. pro tempore existentis obedientia, pertinaciter subtrahere, seu quomodolibet recedere præsumunt.

EDITTO

EDITTO
PER L'OSSERVANZA della Festa.

LODOVICO Tauerna per la gratia di Dio & della santa Sede Apostolica Vescouo di Lodi, & Conte. &c.

HAVENDO Iddio benedetto con parole si efficaci commandato che si santifichi il giorno della festa, astenendosi dalle opere seruili, douemo certo come tempo consecrato à S. D. Maestà spenderlo in meditare gl'immensi beneficii, che riceuiamo continuamente dalla sua liberalissima mano, & ringratiarne l'infinita sua bontà, & misericordia. Douemo parimente in quelli giorni frequentare le chiese, vdir le prediche, le Messe, & altri diuini officii, & lasciar non solo le opere corporali, & seruili, ma tutte l'altre ancora con le quali si suole offendere, ò hauer occasione di offendere Iddio, & che possono impedire, ò desuiare l'animo, & mente nostra dall'opere di religione, pietà, & charità, nelle quali siamo specialmente obligati ad essercitarsi in quelli giorni. Essendo anco dal sacro Concilio Tridentino, da Pio Quinto di Santa memoria in vna sua bolla, e dalli Concilii Prouinciali incaricata tanto alli Prelati l'osseruanza della festa, & il leuar tutti gli abusi, che si sogliono commettere contra questo santo precetto. Però volendo noi obedire, & per quanto potemo prouedere alla salute dell'anime commesse alla cura nostra, & incaminarle con tutti li mezi possibili nella via del signore per il presente nostro editto commandiamo in virtù di santa obedienza, & sotto pena dell'interdetto dall'ingresso della chiesa, & di altre anco pecuniarie ad arbitrio nostro secondo la colpa, & qualità di ciascuno che si osseruino inuiolabilmẽte gl'ordini infrascritti. Dichiarãdo,

che nelle sodette pene incorrerano non solo quelli che contrauerranno, ma gl'altri ancora, che saranno causa della cōtrauentione come padri per li figliuoli, patroni, & maestri di bottega per li loro seruitori, & lauoranti.

Nelli giorni di festa commandati da santa chiesa, ò che per vso, & consuetudine approbata si sogliono festare in questa città, & diocesi si tengano le botteghe serrate, ne si vendano, ò mettano fuori, ò portino à torno per vendere cose di qual si voglia sorte, che non siano da mangiare, ne anco libri, imagini, pitture, merciarie minute, fiori, piante, vcelli, & simili.

Nissuno ancor che sia Giudeo venda cose pertinenti à giuoco di dadi, carte, ò simili essercitii, ne quali si suole offender Iddio.

Non si vendano, ò diano ad affitto mascare, vesti, ò simili cose pertinenti à mascarate.

Non si tenga scuola di scrima, ne di ballare, saltare, ò simili essercitii vani.

Li Ciarlatani, & simili sorte di persone non essercitino le loro ciancie vane, ne vendano acque, olii, palle, radici, ò altro, ne anco sotto pretesto di medicamento.

Non sia lecito ad alcuno metter al lotto, ne far giuoco di ventura.

Non si vendano cose mangiatiue che non siano necessarie per il vitto humano di quel giorno; & in questo caso si osseruino le regole infrascritte.

Non si vendano in qual si voglia modo vicino alle chiese per venti braccia, & mai doue si celebri solennità particolare d'alcuna chiesa.

Dalle cose medicinali in poi, l'altre mangiatiue si vendano nella città la mattina fin'al primo segno della Messa grande della Chiesa Cathedrale, & doppò quella fin'al vespero dell'Incoronata, & finito il vespero della Cathedrale fin'al la sera. Nella diœcesi non sia lecito vendere nell'hora della Messa Parochiale, & del vespero.

Il medemo si osserui quanto all'hora da quelli che vendono nella piazza, ò in altri luoghi frutti, herbe, naranci cedri, limoni, & cose simili particolarmente la terza Dominica

del mese, mentre si farà la processione del santissimo Sacramento.

Auuertendo di più nelli detti giorni di festa à tener aperto solamente l'vscio picciolo della bottega, ò il fenestrino, & nō metter fuori banchi, ò rastelli, ne distender tende, ò padiglioni se non sarà per difender il pane, ò altre robbe dal Sole, ò dalla pioggia.

Se occorreranno molte feste continuate, ò altri bisogni vrgenti per li quali sia necessario alli fornari cuocere pane, & burattare farina, & alli molinari condurre grano al molino, ò farina alli fornari, & macinare ò far simili attioni domandino prima licenza nella città al Vicario nostro Generale, & nella diocese alli Vicarii foranei ò loro Curati.

Et questa osseruanza della festa s'intenda di 24. hore continue, cominciando dalla meza notte precedente il giorno della festa fin'all'altra meza notte seguente.

Nel qual tempo à carratieri, molinari, cauallanti, condottieri, barbieri, sarti, calzolari, & altri artegiani di qual si voglì essercitio, e loro garzoni, seruitori, ò lauoranti, & ad altre persone dell'vno, & dell'altro sesso s'intenda esser interdetto il lauorare.

EDITTO
PER L'OSSERVANZA della Quadragesima.

LODOVICO TAVERNA,
Per la gratia di Dio, & della S. Sede Apostolica Vescouo di Lodi, & Conte &c.

VOLENDO per debito dell'officio nostro, & in essecutione del sacro Concilio Tridentino & de Concilii Prouinciali prouedere, ch'il digiuno quadragesimale, qual è di tanto frutto all'anime de' fedeli

fedeli sia intieramente osseruato in questa città, & diocesi, in virtù del presente editto commandiamo che nissuno di qualunque grado, stato, ordine, & conditione si sia mangi carne di alcuna sorte ne oua, butiro, ò altri cibi vietati in tempo di quadragesima.

Non si venda altra carne che di vitella, ò d'altro animale, quale à giudicio di Medici sia solo per vso d'infermi, & non si venda fuora delli luoghi à ciò deputati, ne con la bottega tutta aperta, ma la maggior parte serrata.

Non si tenga fuori in publico carne, oua, butiro, ò latticinii etiam da contadini, ò altre persone per vendere.

Si vendano li cibi sodetti solo à chi hauerà la licenza in scritto da noi, ò da vno di quelli che saranno deputati à darla.

Gl'hosti, ò altri ch'alloggiano, ò danno da mangiare, non tégano, ne vendano, ne ponghino in tauola à forastieri viãdãti, ò ad altri carne, latticinii, ò altri cibi prohibiti nella quadragesima, & se tali cibi fossero comprati, ò portati da loro, essi non li cuocano, ò acconcino, ne cotti ò acconci altroue li lascino mangiare nelle loro hosterie, alberghi, ò case sotto le pene cõtenute ne i sacri Canoni, & altre ad arbitrio nostro, ò del nostro Vicario Generale, da imporsi à chiunque contrauerrà alli sodetti ordini.

Essortiamo poi ciascheduno ad osseruare le infrascritte cose.

SForzarsi d'udire ogni mattina la Messa, & la Predica, & li Maestri di Scuola vi conducano li suoi scolari.

Gl'infermi, & altri à quali sarà concessa licenza in scritto di mangiare carne, oua butiro, & cibi simili l'vsino moderatamente, & con pietà christiana, non li mangiando in publico ma ritiratamente.

Li Medici si ricordino che maggior cura s'hà d'hauer dell'anima che del corpo, & però auuertano à non far fede à veruno di poter mangiar cibi prohibiti, se non in caso di necessità.

Finalmente ricordiamo à tutti che essendo questo tempo con-

secrato à digiuno, deuono astenersi non solo da cibi prohibiti, ma da ogni sorte di delitie, & lusso, & fuggir sopra tutto il peccato con l'occasione di peccare, dandosi ad essercitii virtuosi, & opere christiane, & attendendo à cumularsi gratie, & meriti di vita eterna. Ilche Dio li conceda per la sua infinita misericordia. Dat. &c.

EDITTO
SOPRA IL MODO DI STARE, & conuersare in Chiesa.

LODOVICO TAVERNA
Per la gratia di Dio, & della S. Sede Apostolica Vescouo di Lodi, & Conte &c.

ESSENDO la Chiesa casa di Dio, & d'oratione si deue andare, & conuersare in essa con la debita riuerenza, & diuotione per honore di S. D. Maestà, & salute dell'anime. Però volendo noi come per l'officio nostro Pastorale siamo obligati proueder à molti abusi che in ciò si commettono non solo per l'auttorità nostra ordinaria, ma come delegato Apostolico, & in essecutione de sacri Concilii Lugdunense, Tridentino, & Prouinciali, & della Bolla di Pio Quinto di santa mem. con questo nostro editto comandiamo à tutte le persone della città, & diocesi nostra di qual si voglia stato, grado, ordine, & conditione si siano, ch'osseruino gl'infrascritti ordini sotto le pene à noi arbitrarie fin'all'interdetto dall'ingresso della chiesa inclusiuè, & altre contenute nelli sacri Canoni, Constitutioni di Sommi Pontefici, & Decreti di Concilii secondo la grauità del delitto, & contumacia di quelli che contraueneranno.

Niuno dunque ardisca di passeggiare in qual si voglia chiesa così di secolari, come di Regolari.

Ne in esse fermarsi in circolo di gente se non per occasione di predica, sacra lettione, ò vero altra attione ecclesiastica.
Ne far romore, strepito, tumulto, ò altra cosa con che s'impediscano, ò turbino li diuini officii.
Ne appoggiarsi alli altari, battisterii, & vasi dell'acqua santa, ò sedere con le spalle voltate al santissimo Sacramento.
Ne inconuenientemente mettersi in faccia alle donne, ne far atti dishonesti verso quelle.
A nissuno sia lecito entrar in chiesa con cani da caccia, sparauieri, ò altri vccelli con archibuggi ballestre, ò arme d'hasta, ò simili, eccetto li ministri di Magistrati; ne li attachino, ò riponghino appresso i muri, Porte, & cimiterii della chiesa.
Non si accosti alcuno all'altare ne alli gradi d'esso mentre si celebra la Messa; anzi il sacerdote prima che la cominci se vedrà ch'alcuno stia appresso li gradi lo faccia discostare, & mētre egli celebra il chierico faccia il medemo.
I fedeli stiano presenti alla Messa con diuotione, & talmente composti con il corpo che mostrino di star presenti à tanto sacrificio non con il corpo solo, ma con lo spirito ancora, e con deuoto affetto di cuore.
Stiano à tutta la Messa priuata con il capo scoperto, & inginocchiati con tutte due le ginocchia eccetto quando si legge l'Euangelio, nel qual tempo i maschi stiano in piedi, & le femine inginocchiate, ò in piedi secondo la consuetudine del luogo, ne sia lecito ad alcuno sedere.
Non si partano prima che sia finito l'Euangelio che si dice in fine della Messa.
Al sacrosanto nome di Giesù, ò della Madre di Dio Maria facciano riuerenza se saranno à sedere con scoprir il capo, & stando in piedi con piegar alquanto il ginocchio.
Li poueri mendicanti, & deputati di qual si voglia luogho pio non vadino per la chiesa dimandando elemosina, ma stiano alle porte acciò con il strepito non interrompano le orationi de'fedeli.
Nelle chiese ò loro cimiterii non si trattino negotii profani, non si facciano contratti, ò essattioni, ò qual si voglia altro atto simile, il quale non habbia che fare con la santità di luoghi sacri. Ne si tengano cose da vender in chiesa, si potranno

tranno ben vendere nelli cimiterii candele, cere, & cose simili che appartengano al sacrificio, o vso delle chiese, mentre si tengano alquanto lontane dalle porte d'esse.

Non vi si ripongano grani, legnami, & altre massaritie profane, ò qual si voglia altra cosa indecente.

Nissuno getti immonditie di sorte alcuna vicino alli muri, ò atrii delle chiese, & nelli cimiterii.

Non si portino in volta nelle processioni publiche cose di qual si voglia sorte da mangiare.

Di più commandiamo à tutti li Prefetti di Capitoli, Rettori, Vicarii, Custodi, & altri ministri si della Chiesa nostra Catedrale, come di tutte le altre, che auertiscano ogn'vno ad obedire, ne permettano che si facciano in chiesa, ò nelli loro cimiterii le cose prohibite di sopra, altrimente saranno castigati secondo la qualità della negligenza, & della colpa commessa, ad arbitrio nostro.

Ricordiamo ancora alli Regolari esserli nella detta Bolla di Pio Quinto commandato, che essequiscano le sodette cose, & essendo in ciò negligenti siano grauemẽte ripresi dall'Ordinario, & poi anco castigati da suoi Superiori se perseueraranno in non obedire. Però li essortiamo, & preghiamo che per honor di Dio, & in essecutione della sodetta Bolla, & Concilii, facciano intieramente osseruare nelle loro chiese quanto di sopra è ordinato, si come speriamo dalla loro pietà.

Et accioche questo nostro editto più volte publicato resti anco più fermo nelle menti, & animi di fedeli commandiamo che due volte l'anno nelli giorni notati di sopra sia letto, & recitato da tutti i Parochi al loro popolo.

Auuertimenti per il Sacramento della Cresima.

IL sacramento della Confirmatione, ouero Cresima fù instituito da Christo Redentor nostro, acciò li regenerati per il Battesmo, & ancora deboli, ingagliarditi con la virtù del spirito santo, che s'infonde nel loro cuore con questo sacramento, possano più virilmente resistere à gl'impeti della Carne, del Mondo, & del diauolo. Però facendo

professione il christiano in questo sacramento d'esser soldato di Christo, deue combattere animosamente contra li vitii, & peccati, & si come Iddio benedetto li dà forza copiosa per superar tutti gl'inimici dell'anima; così egli si deue preparare à tolerare ingiurie, stenti, & la morte se bisognerà per amor di Christo; il che viene significato quando il Vescouo percuote con la mano il Cresimato.

Douendo chi fà professione d'esser soldato di Christo conoscere li doni & gratie dello spirito santo che riceue per mezo di questo sacramento, conuiene, che habbi qualche capacità: però nissuno si presenti à riceuerlo che non sia almeno nelli otto anni senza licenza espressa di Monsignor Reuerendissimo Vescouo, & chi è arriuato à questa età non sia negligente in venire à riceuerlo.

Gl'adulti siano prima confessati acciò con questa preparatione siano anco più atti à riceuere la gratia dello spirito santo, la quale non habita in anima imbrattata di peccato mortale. Ne si admetterà chi non portarà fede d'essersi confessato.

Si come quelli che hanno da combatter con arme materiali, massime non essendo esperti in esso, sogliono pigliare vn Padrino che li amaestri; così il christiano pigliando questo sacramento per entrar nella battaglia spirituale contra li nemici dell'anima, piglia vn Padrino che per altro nome si chiama compare, acciò habbi di lui cura, & protettione in amaesttarlo, & aiutarlo, & in segno di questo il Compare nella Cresima tiene, o sostenta il figliuozzo dando ad intendere che fino à quell'hora è stato debole, & infermo, ma che per l'auenire sarà più gagliardo, & bisognando, che lui lo aiutarà.

Però auertiscano li Compari che sono obligati ad insegnare à suoi figliuozzi il Pater noster, l'Aue Maria, il Credo, & i diece commandamenti, quando non li sapessero, & indrizzarli nella via delle virtù christiane con buone parole, & buoni essempi.

Li Compari siano maggiori d'età di figliuozzi à fin che possano meglio, & con maggior auttorità far l'officio di Padri spirituali, & in ogni caso non siano minori di quindeci anni, se però la necessità non astringerà à far altrimente.

Li

Li compari, & comari contrahono con quelli che tengono alla cresima certa parentela spirituale, come nel Battesimo la qual impediffe il farsi matrimonii tra loro, & essendo fatti, non vagliono, non vi essendo interuenuta la dispensatione di S. Santità, & tale parentela è tra il Compare, & Comare, & quelli che teneranno alla Cresima, & suo padre, & madre.

Si elegga vn solo Compare, ò Comare, ne importa che sia parente mentre non sia padre, ò madre, marito, ò moglie.

Per maggior conuenienza, & honestà le donne si tengano alla Cresima loro, & parimente gl'huomini tra di loro, & prima si presentino gl'huomini, & poi le donne.

Nissuno tenga altri alla Cresima che non sia cresimato.

Nissuno tenga più di due, ò tre alla Cresima in vn medesimo giorno.

Nissuno d'altra diocesi venga à farsi cresimare se non porta seco licenza del suo ordinario.

Li escõmunicati, interdetti, ò ch'habbino peccati graui, publici ò non confessati, & nõ cõmunicati alla Pasqua prossima passata non ardiscano farsi cresimare, ò tener altri alla cresima.

Auertisca ciascuno di presentarsi digiuno à questo sacramẽto.

Nissuna donna venga à farsi cresimare, ò tener altre alla cresima con ornamenti vani, ma siano vestite d'habito modesto, & semplice come conuiene alla riuerenza di questo Sacramento, & parimente gl'huomini non vengano à farsi cresimare, ò tener altri alla cresima con spada, pugnale, ò uero altra sorte d'armi.

Quelli che sono stati cresimati vna volta, si guardino di farsi cresimare la seconda, perche questo sacramento si riceue vna volta sola come il Battesimo. Possono ben farsi cresimare quelli che non si ricordano d'esser cresimati, s'haueranno fatta la debita diligenza di saperlo, & non ne trouaranno alcuna certezza.

Porti ogn'vno seco scritto in vn bollettino il nome, & cognome suo, delli padri, & madri, delli Compadri, & della Parochia, ò uero luogho doue habitano, & diano esso bollettino prima che piglino la cresima, à chi sarà deputato per questo effetto.

Auertiſcano li Compari, & Comari di non donar coſa alcuna come altre volte ſi ſoleua fare alli figliuozzi.

Niſſuno creſimato ſi tocchi la fronte, ne anco per farſi il ſegno della Croce, prima che ſia raſciugata da vno delli miniſtri deputati.

Niſſuno creſimato ſi parta ſenza manifeſta neceſſità, ma aſpetti, ò ſi troui al compimento delle preci, & benedittione che darà Monſig. Reuerendiſſimo Veſcouo à tutti inſieme nel fine d'eſſa creſima.

BVLLA S. D. N. PII II.

Si minus canonicè ordinati, ad ſacros ordines fuerint promoti, ſunt ipſo iure ſuſpenſi: & ſi ſuſpenſione durante, miniſtrauerint; irregularitatem incurrunt, & beneficiis eccleſiaſticis priuari poſſunt.

Pius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

CVM ex ſacrorum ordinum collatione, caracter inuiſibilis, animæ imprimatur, ſacra myſteria diſpenſentur, & ipſarum cura tribuatur animarum; in eorum ſuſceptione, exceſſus graues, tanto magis plectendi ſunt, quanto ex illis maiora in mentibus fidelium ſcandala generantur. Cum itaque (ſicut fide dignorum relatione, non niſi moleſte accepimus) nonnulli clerici, extra tempora à iure ſtatuta; quidam ante ætatem legitimã; aliqui vero ſine dimiſſoriis litteris, contra ſanctiones canonicas, ſe faciunt ad ſacros ordines promoueri; nos eorundem temeritatem, tali caſtigatione reprimentes, vt aliis in poſterum committendi ſimilia, aditus præcludatur; auctoritate Apoſtolica, hac conſtitutione perpetuo valitura, ſtatuimus & ordinamus, quòd omnes & ſinguli, qui abſque diſpenſatione canonica, aut legitima licentia, ſiue extra tempora à iure ſtatuta, ſiue ante ætatem legitimam, vel abſque dimiſſoriis litteris, etiam citramontani à citramonta-

nis

nis (præterquam si in hoc vltimo casu, per cameram Apostolicam, iuxta illius stylum) ordinati fuerint, & ad aliquẽ ex sacris ordinibus se fecerint promoueri, à suorum ordinũ executione, ipso iure suspensi sint; & si huiusmodi suspensione durante, in eisdem ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant. Præterea, vltra alias pœnas in tales generaliter à iure inflictas, beneficiis ecclesiasticis possint iure priuari. Volumus autem quod præsens nostra constitutio, in Romana curia existentes, post quindecim dies; absentes vero Italicos, post duos menses; alios vero vltramontanos, post sex menses, ab ipsius in audientia Contradictarum & Cancellaria Apostolica, publicatione & affixione, ligare incipiat. Nulli ergo omnino hominum, liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis & voluntatis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli, Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno ab incarnatione Dominica millesimo quadringentesimo sexagesimo primo, quintodecimo Kal. Decembris Pontificatus nostri anno quarto.

Decretum à Leone X. Pont. Maximo in Concil. Lateranensi sess. 9. editum contra blasphemos, & de indulgentiis concessis iis, qui eosdem arguunt, & accusant.

AD abolendam vero execrabilem blasphemiã, quæ in maximum Diuini nominis, & sanctorum contemptũ supramodum inualuit, statuimus, & ordinamus, vt quicunque Deo palàm, seu publicè maledixerit, contumeliosisq́; atque obscœnis verbis Dominum nostrum Iesum Christum, vel gloriosam virginem Mariam eius genitricem expresse blasphemauerit, si munus publicum, iurisdictionemuè gesserit, perdat emolumenta trium mensium pro prima & secunda vice dicti officii; si tertio deliquerit, illo eo ipso priuatus existat. Si clericus, vel sacerdos fuerit, eo ipso, quòd de delicto huiusmodi fuerit conuictus, etiam beneficiorum quęcunque habuerit,

fructibus

fructibus applicandis, vt infra, vnius anni spatium mulctetur; & hoc sit pro prima vice, qua blasphemus ita deliquerit: pro secunda vero, si ita deliquerit, & conuictus (vt prefertur) fuerit, si vnicum habuerit beneficium, eo priuetur: si autem plura, quod Ordinarius maluerit, id amittere cogatur. Quòd si tertiò eius sceleris arguatur, & conuincatur, dignitatibus, ac beneficiis omnibus quæcunque habuerit, eò ipso priuatus existat, ad eaq; vlterius retinenda inhabilis reddatur, eaq; liberè impetrari, & conferri possint. Laicus verò blasphemans, si nobilis fuerit, pœna viginti quinque ducatorum mulctetur, & pro secunda vice, quinquaginta, fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe applicandis,& aliis vt infra deducitur: pro tertia verò nobilitatem perdat. Si verò ignobilis, ac plebeius fuerit, in carcerem detrudatur. Quòd si vltra duas vices publicè blasphemans deprehensus fuerit mitra infami per integram diem ante fores ecclesiæ principalis mitratus stare cogatur. Si verò pluries in hoc ipsum peccatum lapsus fuerit, ad perpetuos carceres, vel ad triremes damnetur ad iudicis deputati arbitrium. In foro autem conscientiæ nemo blasphemiæ reus, absque grauissima pœnitentia, seueri confessoris arbitrio iniuncta, possit absolui. Qui verò reliquos Sanctos blasphemauerit, arbitrio iudicis rationem personarum habituri, mitiùs aliquanto puniri volumus. Statuimus etiã, vt sæculares iudices, qui contra tales blasphemiæ conuictos non animaduerterint, eosq; iustis pœnis minimè affecerint, quantum in eis fuerit, quasi eisdem sceleri obnoxii, eisdem quoque pœnis subiiciantur. Qui verò in illis inquirendis, puniendisq; diligentes, & seueri fuerint, pro qualibet vice decem annorum indulgentiam consequantur, & tertiam partem mulctæ pecuniariæ habeant. Quicunque verò blasphemantem audierint, eum verbis acriter obiurgare teneantur, si citra periculum suum id fieri posse continget, eundemq; deferre, vel notificare apud iudicem ecclesiasticum, seu sæcularem intra triduum debeant. Quòd si plures dictum blasphemantem simul audiuerint, singuli eum accusare teneantur, nisi fortè omnes conuenerint, vt vnus pro cunctis tali fungatur officio. Quos omnes in vir-

tute sanctæ obedientiæ hortamur, & monemus in Domino, vt pro diuini nominis reuerentia, & honore in suis dominiis, ac terris præmissa omnia seruati, & exactissimè exequi mandent, ac faciant, vberrimam ab ipso Deo tàm boni, ac pii operis mercedem habituri, similemq; annorum decem indulgentiam ab Apostolica sede consecuturi cum tertia parte mulctæ, qua dictus blasphemus plectetur, quoties tale scelus puniendum curauerint. Quam quidem indulgentiam, & reliquam tertiæ mulctæ partem accusatori, blasphemi nomen deferenti, similiter concedi, & assignari volumus; aliis pœnis contra huiusmodi blasphemos, per sacros canones expressis, nihilominus in suo robore manentibus.

BVLLA S. D. N. PII IIII.

De forma iuramenti professionis fidei à cathedralibus, & Superioribus ecclesiis, vel beneficiis curam animarum habentibus, & locis regularium, ac militiarum præficiendis obseruanda.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

INIVNCTVM nobis apostolicæ seruitutis officium requirit, vt ea quæ Dominus omnipotens, ad prouidam Ecclesiæ suæ directionem, sanctis Patribus in nomine suo congregatis diuinitus inspirare dignatus est, ad eius laudem & gloriam incunctanter exequi properemus. Cum itaque iuxta Concilii Tridetini dispositionem omnes quos deinceps Cathedralibus & superioribus ecclesiis præfici, vel quibus de illarum dignitatibus, Canonicatibus, & aliis quibuscunque beneficiis ecclesiasticis, curam animarum habentibus, prouideri continget, publicam orthodoxæ fidei professionem facere, seque in Roman. Ecclesiæ obedientia permansuros spondere, & iurare teneantur: Nos volentes etiam per quoscunque quibus de Monasteriis, Conuentibus, Domibus, & aliis quibuscunque locis regulariũ quorumcunque

rumcunque ordinum, etiam Militiarum quocunque nomine vel titulo prouidebitur idem seruari, & ad hoc vt vnius eiusdem fidei professio vniformiter ab omnibus exhibeatur, vnicaque & certa illius forma cunctis innotescat, nostræ sollicitudinis partes in hoc alicui minime desiderari, formam ipsam præsentibus annotatam, publicari, & vbique gentium per eos ad quos ex decretis ipsius Concilii, & alios prædictos spectat, recipi, & obseruari, ac sub pœnis per Cōcilium ipsum in contrauenientes latis, iuxta hanc & non aliam formam professionem prædictam solemniter fieri, auctoritate Apostolica tenore præsentiū districtè præcipiēdo mandamus, huiusmodi sub tenore. ✠ Ego. N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet. Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium. Et in vnum dominum Iesum Christum filium Dei vnigenitū. Et ex patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt, Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum dominum, & viuificantem, qui ex patre filioque procedit. Qui cum patre, & filio simul adoratur & conglorificatur, qui locutus est per prophetas. Et vnam sanctam Catholicam, & Apostolicam ecclesiam. Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amē. Apostolicas & ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdē Ecclesiæ obseruationes & constitutiones firmissime admitto, & amplector. Item sacram scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum scripturarum,

rarum, admitto, nec eam vnquam, nisi iuxta vnanimem consensum patrum, accipiam & interpretabor. Profiteor quoque septem esse verè & propriè sacramenta nouæ legis à Iesu Christo domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitẽtiam, Extremam vnctionem, Ordinem,& Matrimonium, illaque gratiam conferre: & ex his Baptismum, Confirmationem,& Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque & approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto. Omnia & singula quæ de peccato originali, & de iustificatione in sacrosancta Triden. Synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium & propitiatorium sacrificium pro viuis & defunctis: atque in sanctissimo Eucharistię sacramento esse vere realiter & substantialiter corpus, & sanguinem, vnà cum anima, & diuinitate domini nostri Iesu Christi, fierique conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini, in sanguinem: quam conuersionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumq; Sacramẽtum sumi. Constanter teneo purgatorium esse, animasq; ibi detentas fidelium suffragiis iuuari: Similiter & sanctos vnà cum Christo regnantes, venerandos atque inuocandos esse, eosq; orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissimè assero imagines Christi, ac Deiparæ semper virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas & retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiã potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumq; vsum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiã omnium Ecclesiarum matrem, & magistram agnosco: Romanoq; Pontifici beati Petri Apostolorum principis successori, ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac iuro. Cætera item omnia à sacris Canonibus & œcume-

nicis Conciliis, ac præcipue à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio atque profiteor: simulq; contraria omnia atq; hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas & reiectas & anathematizatas ego pariter damno reicio & anathematizo. Hanc veram catholicam fidē, extra quam nemo saluus esse potest quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram & inuiolatam, vsque ad extremum vitæ spiritum constantissime Deo adiuuante retinere, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in me in munere meo spectabit, teneri doceri & prædicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo voueo ac iuro. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia. Volumus autem quod præsentes litteræ in Cancellaria nostra Apostolica de more legantur: & vt omnibus facilius pateant, in eius Quinterno describantur, ac etiam imprimantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo Sexagesimo Quarto, Idibus Nouemb. Pontificatus nostri Anno Quinto.

Fed. Cardinalis Cæsius.

Cæ. Glorierius.

BVLLA S. D. N. PII IIII.

Indulgentiæ Confraternitatis nominis Dei, & iuramentorum.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei.

VNIVERSIS Christifidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem, & Apostolicam benedictionem. Saluatoris, & Domini Nostri Iesu Christi

Dei

Dei Patris Vnigeniti, qui pro redemptione generis humani de summo cœlorum solio ad huius mundi infima descendere, & carnem nostram ex vtero virgineo assumere, ac post peractum ad nostram institutionem huius vitæ cursum, in ara Crucis pretium exoluere dignatus est, vices licet immeriti gerentes in terris, gregemque Dominicum nostræ curæ diuinitus commissum ad vitam lucis æternæ perduci cupiẽtes, iuxta creditum nobis Apostolicæ seruitutis officium, fideles cũctos quorum merita pro demeritis penitus sunt imparia, ad mala euitanda, veraq;, & sordida bona amplexanda, ac altissimi viam ingrediendum, spiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet, & peccatorum remissionibus, frequenter inuitamus, vt fideles ipsi per deuotionis sinceritatem, & bonorum operum exercitium, abolita suorum delictorum macula, Diuinæ gratiæ promerendæ reddantur aptiores. Cum itaque sicut accepimus, dudum dilectus filius Didacus de Victoria, Frater Conuentus Sancti Pauli Burgen. Ordinis fratrum prædicatorum, egregius verbi Dei prædicator, zelo Diuini nominis permotus, ad cauendos Iuramentorum, & Blasphemiarum abusus vnam saluberrimam Confraternitatem sub vocabulo nominis Dei institui curauerit, cuius Confratrum partes potissimum essent, certa etiam regula super hoc composita, omni diligẽtia cauere, ne vel ipsi, vel alii coram eis aliquo modo, nisi ob causam grauissimam iurarent, & contrafacientes modeste admonerent: ex qua Confraternitate in diuersis Ciuitatibus, & oppidis Hispaniarum rite instituta, & recepta, quamplurimi Christifideles se illi conscribi fecerint, quorũ opera, & studio blasphemiæ atque periuria, & alia illicita iuramenta prohibeantur: Cumque eiusdem Confraternitatis salutaris fructus vbique sit manifestus, venerabiles Fratres nostri Episcopi partium illarum, eam quibus possunt fauoribus promoueant. Nos vt dicta Confraternitas in maiori semper reuerentia habeatur, & Christifideles eo libentius illam ingrediantur, quo ipsa amplioribus decorata spiritualium gratiarum donis, & apostolicis fuerit suffulta priuilegiis, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, Omni-

bus & singulis dictæ Confraternitatis, vbiuis terrarum, & locorum, nunc & pro tempore diffusæ, vtriusque sexus Cõfratribus in illa nunc, & pro tempore descriptis, vbilibet constitutis, siue sub eiusdem Confraternitatis regula prius edita, siue sub alia simili comprehendantur, qui vere pœnitentes,& confessi die festo Circuncisionis D. N. IESV Christi, annis singulis in perpetuum, sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum susceperint, & solemnitati per ipsam Confraternitatem dicto die festo vbiuis locorum, pro tempore celebrari solitæ, in toto vel in parte interfuerint, quoties id egerint, toties pro quolibet die festo huiusmodi plenariam omnium & singulorum, ac quorumcunque peccatorum suorum indulgentiam, remissionem, & absolutionem, prout in anno Iubilei Ecclesias almæ Vrbis, & extra illius muros ad id deputatas visitantibus concedi solet, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus,& elargimur. Illis vero dictæ Confraternitatis Confratribus,qui qualibet prima die Dominica cuiusque mensis totius anni, similiter in perpetuum, ad Missam, quam ipsi Confratres audire tenentur, audiendam conuenerint, quotiescunque id egerint, Decem annos, qui vero temerè iurantem, aut aliàs Diuinum nomen blasphemantem, modestè, & charitatiuè quandocunque admonuerint, pro qualibet vice centum dies, & cuicunque verbi Dei prædicatori sæculari, vel cuiusuis ordinis regulari, qui Christifideles vt à iuramentorum abusibus caueant, & hanc dictæ Confraternitatis regulam amplectantur hortatus fuerit, decem annos de iniũctis sibi pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta, misericorditer in domino relaxamus. Et vt ipsi Confratres dictæ Indulgentiæ plenariæ Deo propitio facilius efficiantur participes, illis, & eorum singulis, indulgentiam huiusmodi consequi volentibus, vt dicto die festo Circuncisionis occurrente, quoscunque sibi bene visos idoneos presbyteros sæculares, vel cuiusuis ordinis regulares, per Ordinarium loci approbandos, in suos possint eligere confessores, qui confessionibus ipsorum diligenter auditis, eos & eorum quemlibet ab omni & quacunque excommunicationis,etiã maioris, & ab omnibus & quibusuis aliis Ecclesiasticis sen

tentiis

tentiis, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine, aut mixtim, quauis occasione, vel causa latis (saluo tamen iure tertii) nec non ab omnibus, & singulis; eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantumcunque grauibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, ac Sedi Apostolicæ reseruatis, præterquam in Bulla die Cenæ Domini legi consueta contentis, dicta auctoritate Apostolica absoluere, eisque pro commissis pœnitentiam salutarem iniungere, Ac vota quæcunque (Hierosolimitano, visitationis Liminum Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli prædictorum de Vrbe, ac Iacobi in Compostella, necnon Castitatis, & Religionis votis dumtaxat exceptis,) in alia pietatis opera cõmutare valeant, similiter auctoritate, & tenore præmissis perpetuò concedimus & indulgemus. Mandantes vniuersis, & singulis Venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis cæteris Ecclesiatum Prælatis, & locorum Ordinariis, vbilibet constitutis, eorumq; generalibus in spiritualibus Vicariis, & Officialibus, quod vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro Confratrum prædictorum parte fuerint requisiti, eidem Confraternitati prædictæ pro posse faueant, fauorabiliter assistant, & illam promouere procurent. Præsentibus quas nunquàm etiam per nos aut alios Romanos Pontifices successores nostros vel sedem pręfatam, aut alios quoscunque quomodolibet reuocari, suspendi, limitari, reduci, modificari, aut in aliquo derogari posse, neque sub quibusuis illarum, aut similium, vel dissimilium indulgentiarum, & gratiarum reuocatronibus, suspensionibus, alterationibus, modificationibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus in genere, vel specie, per nos vel successores nostros, aut sedem pręfatam, seu quosuis alios, & ex quibuscunque etiam vrgentissimis, & necessariis causis, etiam pro fabrica Basilicæ principis Apostolorum de Vrbe, Cruciata sancta, vel expeditione contra infideles, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, Principum, vel aliorum instantiam, seu eorum contemplatione, vel etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac alias quomodolibet canonicè vel de facto nunc, & pro tempore,

re, impositis, & factis, vllatenus vnquam comprehensas, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, & denuo concessas fore, ac censeri decernimus, perpetuis futuris temporibus duraturas. Volumus autem quod si aliqua indulgentia fuerit per nos in aliquo loco eidem Confraternitati concessa, præsentes quo ad locum huiusmodi nullæ sint. Dat. Romę apud sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, Idibus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Quinto.

BVLLA S. D. N. PII V.

Quę sint à medicis obseruanda in infirmorum curatione.

Pius Papa V. Ad perpetuam rei memoriam.

SVPRA gregem Dominicum nostræ vigilantiæ diuinitus creditum vigilijs speculatoris, prout nobis desuper conceditur, exercentes officium, ad ea per quæ animarum saluti cum diuini nominis gloria consuli valeat, libenter intendimus, vt Christifideles post Baptismum in peccata lapsi, per sacramentum pœnitentiæ Deo reconcilientur. Sanè cum infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proueniat, dicente domino languido, quem sanauerat: Vade noli amplius peccare, ne quid deterius tibi cõtingat, ac propterea prouidè fel. recor. Innocentius Tertius prædecessor noster Medicis præceperit, vt cum eos ad ægrotos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, vt animarum Medicos vocent, ne cum eis hoc in extrema ægritudine constitutis suadetur, in desperationis articulum incidāt. Nos igitur volentes hoc tam salutare præceptum nulla temporis præscriptione aboleri, sed semper obseruari, constitutionem præfatam auctoritate apostolica tenore præsentium innouamus, & hac nostra in perpetuum valitura constitutione statuimus, & decernimus, quod omnes Medici cum ad infirmos in lecto iacentes vocati fuerint, ipsos ante omnia moneant, vt idoneo confessori omnia peccata sua iuxta ritum

Medici moneant egrotos peccata sua confiteantur.

ritum S. R. E. confiteantur, neq; tertio die vlterius eos visitent, nisi longius tempus infirmo confessor ob aliquam rationabilem causam, super quo eius conscientiam oneramus, concesserit, & eis per fidem confessoris in scriptis factam constiterit, quod infirmi vt præmittitur peccata sua confessi fuerint. Coniunctos vero, ac omnes familiares, & domesticos infirmi in Domino rogamus & monemus, vt de infirmitate parochum certiorem faciant, ac tam parochus, quam coniuncti, & familiares præfati infirmum ad confessionem peccatorum suadeant, & inducant. Quòd si qui Medicorum præmissa non obseruauerint, vltra pœnas in dicta constitutione contentas, quas incurrere declaramus, perpetuo sint infames, & gradu medicinæ, quo insigniti erant, omnino priuentur, & à Collegio seu Vniuersitate Medicorum eiiciantur, ac pęna etiam pecuniaria arbitrio Ordinariorum, vbi deliquerint, mulctentur. Et vt hæc omnia inuiolabiliter obseruentur, volumus, & eadem auctoritate præcipimus & mandamus, vt nullus posthac vbique locorum in Medicina doctoretur, aut ei quomodolibet medendi facultas à quouis Collegio, & Vniuersitate concedatur, nisi omnia in præsenti nostra constitutione contenta medio eorum iuramento coram Notario publico, & Testibus obseruare in eorũ manibus, vel Ordinarii iurauerint, & de huiusmodi iuramento in priuilegio seu licentia medendi specialis mentio fiat. Quòd si collegia, & vniuersitates præfatę non recepto à promouendis iuramẽto huiusmodi, eosdem ad gradum prædictum promouerint, aut eisdem medendi licentiam præstiterint, pœnam priuationis facultatis alios vlterius doctorandi incurrant. Mandantes in virtute sanctę obedientiæ omnibus, & singulis venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, quatenus in ciuitatibus & diœcesibus propriis præsentes nostras litteras publicari faciant, ac iuramentum prædictum à Medicis iam promotis, seu licentiam medendi habentibus, omnibus iuris remediis exigant, neque aliquos ad medendum in ciuitatibus, & diœcesibus prædictis admittant, nisi eis constiterit eosdem iuramentum huiusmodi præstitisse, & contumaces, & iurare, ac iuramentum huiusmodi

iusmodi

iusmodi iam præstitum exhibere recusantes, gradu Medicinæ, & omnibus priuilegiis eisdem Medicis tam cõiunctim quam diuisim eis, & eorum cuilibet concessis per quosuis etiam Romanos Pontifices priuent, ac ab ingressu Ecclesię arceant, donec resipuerint. Non obstantibus præmissis, priuilegiis, indultis, litteris Apostolicis, quibusuis personis collegio & vniuersitati sub quibusuis verborum formis & tenoribus concessis. Quę omnia, quoad effectum validitatis constitutionis nostræ tantum reuocamus, cassamus, & annullamus, Et omnes Principes sæculares ac alios Dominos, & Magistratus temporales rogamus requirimus, & obsecramus per viscera misericordię Iesu Christi eisdem in remissionem peccatorum nihilominus iniungentes, quod in prędmissis omnibus eisdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis assistant, & suum fauorem, & auxilium pręstent, ac contrafacientes pœnis etiam temporalibus afficiant. Volumus autem quod præsentes litteræ in Cancellaria, & acie Campi Floræ publicentur, & inter constitutiones extrauagantes perpetuo valituras conscribantur. Et quia difficile foret pręsentes ad singula quæque loca deferri, volumus, & etiam declaramus, quod earum transumptis etiam impressis manu alicuius Notarii subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis eadem prorsus fides vbicũque adhibeatur, quæ pręsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris Die viii. Martii, millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, Pontificatus nostri Anno Primo.

Cæs. Glorierius.

BVLLA

Prohibitio blaſphemiæ, Sodomiæ, Simoniæ, Concubinariatus, ac contra deambulantes per Eccleſias, pauperes per eas mendicantes, ac alios in eis illicita facien. necnon de tollendis ex eis capſis, & depoſitis mortuorum, de non laborando in diebus feſtiuis, ac circa plurima alia Dei honorem, & diuinum cultum concernentia.

Pius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

CVM primum apoſtolatus officium diuina nobis diſpoſitione commiſſum ſuſcepimus, ſtatim omnem curam, & cogitationem noſtram in dominici gregis fidei noſtræ crediti ſalute defiximus, & Chriſtifideles Deo iuuante ita dirigere ſtatuimus, vt à vitiis, & peccatis, abſtinentes iter, quod ad vitã æternam ducit, inſiſtant. Cũ autẽ ad omnia, quæ diuinam maieſtatem aliquo modo poſſent offendere, amouenda; mentis noſtræ aciem intenderimus, ea primum, & ſine mora emendare decreuimus, quæ Deo præter cætera diſplicere, & iram eius prouocare eum diuinæ docent ſcripturæ, tum grauiſſima exempla declarant, nempe diuini cultus neglectum, ſimoniæ labem, blaſphemiæ crimen, & libidinis naturæ contrariæ vitium execrandum, propter quæ populi & nationes, bellorum, famis, & peſtilentiæ calamitatibus iuſta dei vltione ſæpe plectuntur. Et ſi autem contra eos, qui tam grauia crimina admiſerint: multa à prædeceſſoribus noſtris conſtitutiones æditæ fuerunt; tamen quia parum eſt leges ędere; niſi ſint, qui eas debitis temporibus exequantur: Idcirco ne qui forſan ex tolerantia ſperare impunitatem audeant, ſcientes pleroſque pœnarum grauitate magis quam Dei timore arceri ſolere à voluntate peccandi, omnes, & ſingulas ſententias, cenſuras, & pœnas contra eos, qui talia deliquerint latas, confirmamus, & apoſtolica auctoritate innouamus,

nec de earum rigore quicquam relaxamus, admonemusq; eos qui talia perpetrare veriti non fuerint, non solum subituros eas pœnas, quæ sacris sunt Canonibus constitutæ, sed eas etiam quas leges ciuiles comminantur, & nostri quoq; arbitrii discretio pro personarum qualitate constituet. Mandantes ciuitatum, & locorum status nostri Ecclesiastici pro tempore Ordinariis, & Gubernatoribus, illis quidem sub pœna suspensionis à diuinis, his vero sub pœna excommunicationis latę sententię, vt quos debitum Deo cultum in Ecclesiis non tribuere, aliisque nefandis criminibus pollutos esse compererint, comprehendi curent pœnis afficiendos competentibus. Scituris etiam ipsis Iudicibus, quod si post hanc nostram constitutionem in castigandis huiusmodi delictis negligentes fuerint, primum quidem Dei omnipotentis iudicio obnoxii erunt; deinde nostram quoque incurrent indignationem. Vt autem pœnarum certitudo cunctis facilius innotescat, nonnullas hic duximus exprimendas, aliis nihilominus contra huiusmodi criminũ reos à iure statutis in suo robore manentibus. Vt igitur Deo optimo maximo, gloriosæ virgini, & sanctis omnibus debitus honor deferatur, Gregorii X. prædecessoris nostri constitutionem innouantes, ac statuta in Tridentino Concilio obseruari volentes, statuimus, & ordinamus, vt ad ecclesias sit humilis, & deuotus ingressus, quieta conuersatio, deuotis orationibus insistant, & omnes genibus flexis sanctissimum Sacramentum adorent, ad nomen Iesu Christi domini nostri cum exhibitione reuerentię caput inclinent, nullus in dictis ecclesiis seditionem faciat, tumultum excitet, clamores moueat, impetumue committat, cessent vana, fœda, & profana colloquia, risus immoderati, & strepitus omnes iudiciorum, & alia quæcunque quę diuinum officium perturbare possunt. Nullus intra Ecclesias deambulare audeat, siue presumat, dum celebrantur sacra Missarum mysteria, & alia diuina officia. Qui vero prædicta petulanti animo contempserint, præter diuinę vltionis acrimoniam, nostri quoque arbitrii pœnas incurrent, quę omnia locorum quoque Ordinarii in suis ecclesiis facient obseruari. Quicunq; vero in Ecclesiis, dum ibi sacrificium Missæ, & diuina ce-

lebrantur officia, aut verbum Dei prędicatur, deambulare, vociferari, aut verso tergo ad sanctissimum Sacramentum irreuerenter sedere, aut aliquid, quod scandalum generet, aut diuina perturbet officia, facere pręsumpserit, pœnam vigintiquinque ducatorum incurret, pręter alias arbitrio nostro imponendas, & moderandas pœnas, & qui non habebit in ęre, luet in corpore; aut exilio mulctabitur. Qui vero in ecclesiis cum mulieribus impudicis, siue etiam honestis colloquium scurrile habuerit, aut alios inhonestos actus fecerit, vigintiquinque ducatorum pœnam incurrat, & carceris per mensem. Qui in Ecclesiis, vt supra, obscœnis, & inhonestis verbis aut signis vsus fuerit, aut alia fœda colloquia cum personis quibuscunque habuerit, decem aureorum pœna mulctetur, aut alias corporaliter puniatur. Mandamus pręterea omnibus, & singulis Cathedralium, Collegiatarum, & Parochialium Ecclesiarum Capitulis, Rectoribus, Vicariis, Sacristis, Ostiariis, & aliis ipsarum custodibus, quatenus pręfatos omnes in Ecclesiis delinquentes admoneant, & vt in eis vetita fieri non permittant, vel saltem ipsis Ordinariis, vel Officialibus nostris puniendos deferant, quod si facere neglexerint, pœnam duorum aureorum vice qualibet incurrent. Pauperes quoque mendicantes, seu eleemosynas petentes per Ecclesias tēpore Missarum, prędicationum, aliorumq; diuinorum officiorum ire non sinant, sed eos ad valuas ecclesiarum stare faciant, sub pœna duorum aureorum Capitulis infligenda pro qualibet vice, nisi eos eiici curauerint, & Parochis dimidii aurei. Religiosis etiam claustralibus, siue regularibus pręcipimus in virtute sanctę obedientię, vt in Ecclesiis suis deputent aliquem, qui tales eiiciat, & si negligentes fuerint, grauissime ab Ordinario corripiantur, quod si illi parere recusauerint, grauissimas pœnas incurrent, & pro qualitate personarum etiam corporaliter punientur arbitrio nostro, siue Superiorū. Et vt in Ecclesiis nihil indecens relinquatur, iidem prouideant, vt capsæ omnes, & deposita, seu alia cadauerum conditoria super terrā exist ētia omnino amoueātur, prout alias statutum fuit, & defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur. Cum vero die-

rum festorum obseruatio ad Dei cultum maxime pertineat, & in lege diuina pręcipiatur, cupientes abusus prauos, qui ex eorum inobseruantia inualuerunt, omnino corrigere, & antiquorum canonum statuta renouantes mandamus, vt omnes Dies dominici, & pręcipue in honorem Dei, Beatę Marię virginis, sanctorum Apostolorum feriati, cum omni veneratione obseruentur, & omnes in diebus pręfatis ecclesias frequentent, diuinis officiis deuote intendant, ab omni illicito, & seruili opere abstineant, mercatus non fiant, profanę negotiationes, & iudiciorum strepitus conquiescãt. Qui vero in diebus pręfatis opus aliquod illicitum fecisse deprehensus fuerit: prӕter diuinam vltionem, & amissionem animalium, quibus ad vecturam vtetur, etiam graues pœnas incurret arbitrio nostro, seu Vicarii nostri in Vrbe. In aliis autem locis arbitrio Ordinariorum, vel aliorum Magistratuum, ita vt pręuentioni locus sit. Quibus omnibus districte pręcipimus, vt hęc diligenter obseruari procurent; illas etiam festiuitates, quę iuxta consuetudinem locorum solemniter celebrari consueuerunt, iuxta laudabilem consuetudinem debita cum reuerentia obseruari faciãt, sub pœnis arbitrio ipsorum imponendis, & moderandis. Et vt Simoniacę prauitatis, & labes prorsus aboleatur, constitutiones antecessorum nostrorum contra Simoniacos ędi tas, & prӕsertim Pauli II. inuiolabiliter obseruari mandamus, & delinquentes tam in sacrorum ordinum receptione, quam in beneficiorum assecutione, statutis etiam inferius pœnis nostra auctoritate affici volumus. Quicunque igitur detestabile crimen Simoniacę prauitatis commisisse conuictus fuerit in consequendis ordinibus, eo ipso sit ab ab illorum executione per decennium sine spe dispensationis suspensus, & per annum carceribus mancipetur. Qui dignitates Ecclesiasticas simoniacè acquisiuerit, illis sit ipso iure priuatus, & in futurum inhabilis ad eas, & quascunque alias obtinendas. Qui beneficium, aut officium Ecclesiasticum simoniacè adeptus fuerit, illis similiter sit ipso iure priuatus, & ad fructuum omnium, quos perceperit, restitutionem teneatur, & perpetuo sit inhabilis ad ea, & quęcunque alia beneficia ecclesiastica obtinenda. Si quis autẽ
tale

tale crimen pluries commisisse conuictus fuerit, prçter supradictas pœnas etiam corporaliter puniatur, & ab ordinibus ecclesiasticis degradatus à fidelium consortio eiiciatur. Qui vero ordines, & beneficia simoniacè contulerint, pœnis à iure statutis puniantur, cuiuscunque gradus, conditionis, & dignitatis, etiam si Episcopi, Archiepiscopi, vel maiores fuerint. Caueant prætereà quicunque ne in sacramētorum exhibitione Simoniacum aliquid faciant, alioquin grauissime puniantur per locorũ Ordinarios, qui huiusmodi criminis reos cum maxima seueritate coercere procurēt, iuxta Concilii Tridentini statuta. Ad abolendũ vero nefariũ, & execrabile blasphemiæ scelus, quod in antiqua lege Deus morte puniri mandat, & imperialibus quoque legibus receptum est, nunc autem propter nimiam Iudicum in puniendo segniciem, vel potius desuetudinem, supra modum inualuit, Leonis X. prædecessoris nostri in nouissimo Lateranen. Concilio statuta innouantes, Decernimus vt quicunque laicus Deum, & dominum nostrum Iesum Christum, vel gloriosam virginem Mariam eius genitricem expresse blasphemauerit, pro prima vice pœnam vigintiquinque ducatorum incurrat, pro secunda, pœna duplicabitur, pro tertia autem centum ducatos soluet; & ignominia notatus exilio mulctabitur. Qui vero plebeius fuerit, nec erit soluendo, pro prima vice manibus post tergum ligatis ante fores ecclesiæ constituetur per diem integrum, pro secunda fustigabitur per Vrbem, pro tertia lingua ei perforabitur, & mittetur ad triremes. Quicunque clericus in hoc blasphemiæ crimen incurrerit, pro prima vice fructibus vnius anni omnium & quorumcunque beneficiorum suorum, pro secunda beneficiis ipsis priuetur, pro tertia omnibus etiam dignitatibus exutus deponatur, & in exilium mittatur. Quod si clericus nullum obtinuerit beneficium, pœna pecuniaria, vel corporali pro prima vice puniatur, pro secunda carceribus mancipetur, pro tertia verbaliter degradetur, & ad triremes mittatur. Qui reliquos sanctos blasphemauerit, pro qualitate blasphemiæ, atque personæ arbitrio Iudicis puniatur. Si quis crimen nefandum contra naturam, propter quod ira Dei venit in filios diffidentiæ, perpetrauerit,

uerit, Curiæ sæculari puniendus tradatur: & si clericus fuerit omnibus ordinibus degradatus simili pœna subiiciatur. Monemus præterea omnes locorum Ordinarios, & in virtute sanctæ obedientiæ eis præcipimus, vt statuta Tridentini Concilii contra Concubinarios tam Clericos, quam laicos edita districte faciant obseruari, reddituri Deo, ac nobis, si id omiserint, rationem. Et vt præmissorum delictorum simoniæ, blasphemiæ, ac stupri nefandi notitia facilius habeatur, volumus quod in singulis casibus non solum per accusationem, & inquisitionem, sed etiam ad simplicem, & secretam denunciationem procedatur per quoscunque Iudices, aliàs tamen de iure competentes, tam ratione delicti, quam personarum, ita quod inter eos locus sit præuentioni. Monemus præterea omnes, & singulos, vt solum Dei timorem præ oculis habentes, & non alia animi praua affectione ducti, culpabiles tantum deferant, innocẽtes non vexent. Quod si aliqui ex calumnia aliquos denunciasse comperti fuerint, eos ad pœnam talionis teneri volumus, & mandamus. Mulctæ autem pecuniariæ applicabuntur pro duabus partibus locis piis arbitrio nostro in Vrbe, extra vero, Ordinariorum, pro tertia accusatori, qui delinquẽtes detulerit. Mandamus autem Principibus, Comitibus, & Baronibus omnibus, S. R. E. feudatariis, sub pœna priuationis feudorum, quæ ab ipsa Ecclesia Romana obtinent. Reliquos vero Principes Christianos, & Terrarum Dominos hortamur in domino, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, vt pro diuini nominis reuerentia, & honore, præmissa omnia in suis dominiis, ac Terris exactissime seruari faciant, vberrimam ab ipso Deo mercedem tam boni operis recepturi. Non obstantibus quibusuis cõstitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac exemptionibus, priuilegiis, indultis, facultatibus, & litteris Apostolicis quibusuis capitulis, conuentibus, militibus, ordinibus, & personis cuiuscunque qualitatis, & conditionis existentibus, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cũ quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisq; efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam Motu proprio

alias

aliàs quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, quibus, illorum tenores pręsentibus pro expressis habentes, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque cōtrariis quibuscunque. Volumus autem quod præsentium transumptis etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati munitis eadem prorsus fides vbique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ innouationis, relaxationis, admonitionis, confirmationis, mandati, statuti, decreti, ordinationis, pręcepti, monitionis, voluntatis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicę millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, Cal. Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Primo.

Antonius Florebellus Lauellinus.

Visa de Curia Io. Riuetius.

H. Cumyn.

BVLLA S. D. N. PII V.

Declaratio Concilii Tridentini de compaternitate & affinitate ex fornicatione, ac matrimoniis desuper contractis, & contrahendis.

SANCTISSIMI in Christo patris & D. N. D. Pii diuina prouidentia Papæ V. Ad cuius notitiam peruenit, quod cum in decretis sacri Concilii Tridentini certę tantū personæ enumerentur, inter quas dumtaxat cognatio spiritualis deinceps contrahatur, ab aliquibus reuocatur in dubiū, an qui vltra personas in dictis decretis enumeratas quoquomodo cognatione spirituali ante confirmatio-

nem

nem dicti Concilii coniuncti erant, absque dispensatione apostolica matrimonium post dictam confirmationem contrahere potuerint, ac hodie, & de cætero contrahere possint, cum ante prædictam confirmationem id facere de iure minime liceret: Et insuper cum in eisdem decretis statuatur affinitatem, quę ex fornicatione contrahitur, in illis solummodo attendi debere qui primo vel secundo affinitatis gradu coniunguntur, ab aliquibus pariter dubitetur, An matrimonia inter personas, quę ante confirmationem dicti Cócilii tertio, vel vlteriori huiusmodi affinitatis gradu coniunctæ erant, post confirmationem eiusdem Concilii absque dispensatione apostolica contracta & quæ deinceps contrahi contigerit, dirimi debeant, Sanctitas sua ad tollendum omne dubium, eos qui ante confirmationem prędicti Concilii cognationem spiritualem contraxerunt, dummodo nō sint ex personis in dictis decretis enumeratis, & inter quas tantum Concilium voluit deinceps contrahi, hanc cognationem spiritualem matrimonii vinculo inter se absque dispensatione aliqua liberè, & licitè copulari posse, àc matrimonia etiam post confirmationem huiusmodi, absque dispensatione sedis apostolicæ inter eas iam contracta valere, plenamq; roboris firmitatem obtinere: Et similiter matrimonia post confirmationem Concilii absque dispensatione apostolica sequuta, & quæ de cætero sequentur, inter personas quæ ante dictam confirmationem, affinitatem (infra tamen secundum gradum ex fornicatione prouenientem) contraxerant, propter huiusmodi affinitatem dirimi non debere, sed valida, & efficacia existere declarauit: Sicque per quoscunque Iudices, & Commissarios, etiam S. R. E. Cardinales, sublata eis quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & diffiniri debere, ac quicquid secus super his à quoquā quauis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decreuit.

Declaratio

Declaratio, quòd Regulares in prouincia Mediolani existentes, teneantur ad obseruationem decretorum Concilii primi Prouincialis.

Pius Papa V. Ad futuram rei memoriam.

INTER omnes Apostolicæ seruitutis, nobis iniunctæ, sollicitudines, quæ mentem nostram incessanter exercet, illa frequentior occurrit; vt ordinationes & statuta, quæ circa iamdudum labascentis, & penè conuulsæ disciplinæ Ecclesiasticæ restitutionem prudẽter edita fuisse cognoscimus, ab omnibus ipsius Ecclesiæ ministris obedienter recipi, & indifferenter obseruari procuremus. Cum itaque, sicut accepimus nuper in prouinciali synodo Mediolanẽsi, Dilecto filio nostro, Carolo Tit. sanctæ Praxedis Presbytero Cardinali Borrhomæo nuncupato, qui Ecclesiæ Mediolanensi ex concessione & dispensatione Apostolica præesse dignoscitur, illi præsidente quamplura saluberrima statuta, & decreta, ad mores dilectorum filiorum Cleri sæcularis totius prouinciæ Mediolanensis reformandos pertinentia, & præsertim honestatem, decorum, reuerentiam, ornamẽta Ecclesiarum, necnon locum, tempus, modum, aliasq; circunstantias in Ecclesiarum sacramentorum administratione, Missarumq; celebratione obseruanda, ac sepulturas, funeralia, processiones, verbi Dei conciones, seu prędicationes, repræsentationes, & picturarũ decentias, vitę honestatẽ, frugalitatẽ, morum correctionem, & moderationem, Archiuia & alia ad scripturarum, iurium, & aliorum bonorum Ecclesiasticorum conseruationem, necnon fructuum, redditúum, & prouentuum Ecclesiasticorum dispensationem pertinentia non minus religiose, quam sapienter ordinata fuerint. Quæ cum non solum licita, & honesta; sed etiam Ecclesiæ Dei plurimum vtilia & apprime laudabilia existãt, ab omnibus Dei ministris ęqualiter expedit obseruari. Hinc est, quod nos bonum ciuem vtilitati, honestatiq; Reipublicæ nunquam refragari, sed sanctis patriæ legibus liben-

ter obtemperare debere considerantes, ac totos statutorum, & decretorum prædictorum documentorumq; desuper cō-fectorum & inde sequutorum tenores, de quibus plenam, & districtam informationem à præfato CAROLO Cardinale oretenus nobis factam accepimus, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, Motu proprio & ex certa scientia nostra omnia & singula statuta, ordinationes, & decreta in prouinciali synodo Mediolanensi sic, vt præfertur, edita & publicata, ac pro ut illa concernunt, alia in dictis documentis contenta, in omnibus, & singulis Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, Præposituris, Hospitalibus, & aliis piis locis Ecclesiasticis, sæcularibus, vel etiam regularibus commendatis, etiam nobis, & Apostolicæ sedi immediate subiectis, etiam nullius diœcesis, aut aliter quomodocunque exemptis in vniuersa prouincia prædicta constitutis, ac per quoscumque earundem Ecclesiarum & locorum Prælatos, Abbates, Priores, Præpositos, Rectores, Superiores, Ministros, Capitula, Canonicos, ac personas, sæculares, aut illa ex concessione, vel dispensatione Apostolica in commendam aut administrationem obtinentes, etiam si dictæ Sedis Notarii, Acoluthi, Capellani, ac Romanæ curiæ officiales, etiam officia sua actu exercentes, etiam familiares nostri, & continui commensales, etiam veri & antiqui, aut aliàs in nostris, seu Venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & prædictæ Sedis seruitiis & obsequiis insistentes, existant, quos omnes ratione beneficiorum quorumcumque personalem residentiam requirentium, in dicta prouincia per eos quomodolibet obtentorum, & obtinendorum, sub sententiis censuris, & pœnis a Concilio Tridentino, aliisq. sacris canonibus contra non residentes latis, & impositis, ad personalem residentiam districtè per locorum Ordinarios, seu eorum in spiritualibus Vicarios generales dictæ prouinciæ cogi & compelli volumus, nec eis constitutionem fe. re. Eugenii Papæ IIII. prædecessoris nostri in fauorem curialium dictæ Sedis editam, aut quæcunq; priuilegia, & indulta Apostolica etiā per nos ad id illis in genere, vel in specie quomodolibet concessa desuper suffragari intelligimus, vel

aliis quomodolibet exemptos, ac nobis, & dictæ Sedi, vt præfertur: immediate subiectos, etiam si nullius diœcesis esse dicantur: dummodo tamen de prædicta prouincia existant, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, condicionis, & præeminentiæ fuerint, in omnibus, & per omnia integre, ac sub sententiis, censuris, & pœnis, in eis forsitan contentis, recipi, & admitti, obseruari, præstari & debitæ executioni demandari, nec quempiam se ab eorum obseruatione, cuiusuis exemptionis, immunitatis, priuilegii, vel alio prętextu excusare debere auctoritate Apostolica tenore præsentium, perpetuo statuimus, & ordinamus: dictaq. prouincialia statuta, ordinationes, & decreta ad Ecclesias Monasteria, & alia loca, ac eorum Superiores, Capitula, & alias personas sęculares huiusmodi extendimus, & ampliamus; Vniuersis earundem Ecclesiarum, Monasteriorum Prioratuum, Pręposituratum, aliorumq; locorum Prælatis, Superioribus, & Capitulis prædictis in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo, mandantes quatenus eadem prouincialia statuta, ordinationes, & decreta iuxta eorum formam & tenorem in suis Ecclesiis, Monasteriis & aliis locis publicent, & publicari, ac per eorum Capitula, canonicos aliasq; personas sęculares huiusmodi integre obseruari faciant, alioquin si super hoc per locorum Ordinarios moniti in præmissorum executione & obseruatione cessauerint, illamue locorum Ordinarii distulerint, seu alias neglexerint, ipsum Metropolitanum vel generalem eius in spiritualibus Vicarium negligentiam seu dilationem dictorum Ordinariorum omnino supplere volumus, committimus & mandamus; necnon eosdem Superiores, Pręlatos, ac Commendatarios, Capitula, canonicos, & personas sæculares prędictas ad præmissorum omnium obseruationem teneri & efficaciter obligatos esse, censurisq; & pœnis tam ecclesiasticis, quam pecuniariis pręfati CAROLI Cardinalis, ac pro tempore existentis Archiepiscopi Mediolanensis, aut eius in spiritualibus Vicarii generalis arbitrio, moderandis, & applicandis, ad id compelli posse. Sicq; per quoscumque iudices & commissarios etiam sanctę Romanę Ecclesiæ Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet

quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & diffiniri debere; ac quicquid super his secùs à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignorantet attentari contigerit, irritum & inane decernimus. Non obstantibus exemptionibus & immunitatibus aliisq; pręmissis, necnon Eugenii Papę IIII. prędecessoris huiusmodi in fauorem curialium dictę sedis edita, aliisq; constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum & locorum prædictorum iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & litteris apostolicis illis, eorumq; Prælatis, Capitulis, Superioribus, & personis aliisq; pręmissis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisq; efficacioribus & insolitis clausulis irritantibusq; & aliis decretis etiam iteratis vicibus, etiam per nos quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, expressa & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quęuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, pręsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cęterisq; contrariis quibuscumque. Dat. Romę apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 6. Iunii 1566. Pontificatus nostri Anno primo.

Cæsar Glorierius.

BVLLA

Declaratio Regulę Pii IIII. ſuper expreſſione gradus propinquioris in diſpenſationibus Matrimonialibus, pro coniunctis in diuerſis gradibus.

SANCTISSIMVS in Chriſto pater, & Dominus noſter Dominus Pius diuina prouidentia Papa V. Attēdens per quandam conſtitutionem dudum per fel. rec. Pium Papam IIII. Sanctitatis ſuæ prędeceſſorem editam, qua cauetur quod in diſpenſationibus matrimonialibus, pro diuerſis conſanguinitatis ſeu affinitatis ex eodem ſtipite prouenientibus gradibus coniunctis non remotioris ſolum prout olim fieri ſolebat, ſed etiam propinquioris graduum expreſſa mentio fieri debeat, alioquin diſpēſationes, ac deſuper confectæ litteræ nullius ſint roboris vel momenti, prout in dicta conſtitutione plenius continetur, à diſpoſitione iuris communis, & laudabili, ac antiquo Rom. Cu. ſtylo, nimium recedi, ac fauorem matrimonii debitum reſtringi: Volenſq; propterea iuri, & ſtylo prædictis, necnon pie me. Gregorii XI. & Clementis VI. Rom. Pont. etiam Sanctitatis ſuæ prædeceſſorum veſtigiis inhærendo, ſacramento & libertati matrimonii, quantum cum Deo poteſt fauere, ſtatuit, & ordinauit, quod de cætero in quibuſcunque diſpenſationibus quas pro matrimoniis contractis, aut contrahendis inter viros & mulieres, inuicem diuerſis prohibitis conſanguinitatis, ſeu affinitatis, aut mixtis ex communi, ſeu ab eodem ſtipite ſurgentibus, quicunq; illi ſint, dummodo primum quoquo modo non attingant, cum in eo Sanctitas ſua nunquam diſpenſare intendat, gradibus cō iunctos, ab eadem Sanctitate ſua & pro tempore exiſtente Rom. Pont. aut ſede apoſtolica impetrari, vel aliàs concedi contigerit, ac litteris commiſſionibuſq; deſuper etiam locorum ordinariis faciendis gradus remotior attendatur, trahatq; ſecum propinquiorem, ac ob id ſufficiat remotiorem tantum gradum exprimere, obtentis tamē poſtea ſuper propinquiore litteris declaratoriis iuxta Gregorii & Clementis prædeceſſoris huiuſmodi conſtitutiones, quas quo ad hoc innouauit

innouauit

innouauit, & inuiolabiliter obseruari mandauit, dispensationesq́, seu dispensandi commissiones, ac desuper confectas litteras, & processus habitos per easdem dispensatis, seu his cum quibus dispensari mandatur propter proximioris gradus huiusmodi non expressionem, de surreptionis, vel obreptionis vitio seu intentionis defectu notari non posse, sed in omnibus & per omnia suffragari, perinde ac si in litteris seu cõmissionibus huiusmodi de proximiore, seu vtroque gradu, specialis & expressa mentio facta fuisset: Sicque per quoscunque Iudices & Commissarios, etiam S. R. E. Cardinales sublata eis quauis aliter iudicandi, & Interpretandi facultate, iudicari, & diffiniri debere, ac quicquid secus super his à quocunque quauis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decreuit, constitutione Pii prædecessoris huiusmodi, ceterisq́; contrariis non obstantibus quibuscunque.

BVLLA S. D. N. PII V.

De veritate exprimenda à Procuratoribus Pœnitentiariæ &c. in dispensationibus matrimonialibus, & aliis gratiis Apostolicis sub pœna falsi.

MOTV proprio &c. Cum sicut accepimus nonnulli suæ conscientiæ prodigi, ac propriæ salutis immemores, vt facilius à nobis, & Sede apostolica dispensationes matrimoniales, & alias gratias, & concessiones obtineant, gradus consanguinitatis, vel affinitatis aut cognationis spiritualis, ac scientiam illorum aliter quam eis à principio ab ipsis partibus significatũ vel narratum fuerit exponunt, & si matrimonia huiusmodi adhuc contracta non fuerint, pro contractis narrant, ac aliàs diuersimode veram facti speciem tam in ipsis dispensationibus matrimonialibus quam pro aliis quibuscunque gratiis, & concessionibus obtinendis immutent, ac propterea cum non solum in impetrationibus huiusmodi falsitas narretur, verum etiam in partibus plerumque pro verificatione gratiarum huiusmodi veritas immutetur, & falsitas committatur:

mittatur: Nos igitur huiusmodi abusibus, & erroribus obuiare cupientes, Motu proprio &c. omnes, & singulos procuratores tam officii sacræ pœnitentiariæ, seu contradictarū, quam alios quoscunq; sollicitatores & scriptores quos copistas vocant, qui veritatem facti à narratione quam ab ipsis partibus habuerunt, quod substantialia, & qualitates necessario exprimendas diuersam faciunt, seu quoquomodo inuertunt, aut immuttant, deprauantur, & per subreptionem, & obreptionem gratias à nobis extorquent, pœnam falsi incurrere, & ea puniri omnino debere decernimus, & declaramus. Mandantes propterea almæ Vrbis Gubernatori, Cameræ Apostolicæ Auditori, & Vicario, quatenus in præmissis reos, & culpabiles repertos pęna falsi vt præmittitur puniant, cum potestate citandi etiā per edictum constito summarie de non tuto accessu, aliaque dicēdi, & faciendi in præmissis necessaria seu quomodolibet opportuna. Non obstantibus præmissis, constitutionibus & ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, irritum quoque, & inane &c. dicique &c. iudicari, & diffiniri debere, sublata &c. decernentibus, Et quod præsentis motus proprii, & absque data, & registratura sola signatura sufficiat, & vbique fidem faciat in iudicio, & extra, regula contraria non obstante, eiusq; transumptis manu alicuius notarii publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ, quodque Cameræ, & Cancellarię apostolicæ, ac audientiæ causarum Palatii apostolici valuis, & in acie Campi Florę dimissis inibi copiis affixis omnes ita afficiant, & arctent, ac si illis personaliter intimatę fuissent.

Declaratio decreti Concilii Tridentini de cognatione spirituali inter maritum, vel vxorem suscipientis, & baptizatatum, baptizatiq; patrem, & matrem, & quascunque alias personas tam ex parte suscipientis, quam baptizantis, & baptizati.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

CVM illius vicem, licet minime suffragantibus meritis, geramus in terris, de cuius vultu prodit iudicium, & vident oculi æquitatem, officii nostri debitam prosequimur actionem, sic obscuros sacrorũ canonum sensus ita aperire studemus, vt piis christifideliũ mentibus nulla dubitandi occasio relinquatur. Sane licet ex eo quod in Concilio Tridentino decretum fuerit, cognationem spiritualem inter eos tantum contrahi, qui suscipiunt baptizatum de baptismo, ac baptizatum ipsum, & illius patrem & matrem, necnon baptizantem, & baptizatum, baptizatiq; patrem & matrem, in reliquis personis, quę per antiquos canones occasione cognationis huiusmodi contrahere prohibeantur, omne impedimentum sublatum esse videatur: adhuc tamen ab aliquibus dubitari accepimus, an saltem impedimentum cognationis spiritualis huiusmodi inter maritum vel vxorem suscipientis, & baptizatum, necnon inter maritum vel vxorem suscipientis, & patrem ac matrem baptizati vigeat, propterea quod prohibitum de vno coniuge de altero etiam prohibitum esse videatur: Nos piarum mentium quieti, & matrimoniorum fauori (quantum ex alto nobis permittitur) consulere volentes, à pręcisis verbis Concilii minime discendum in præmissis esse censuimus. Et propterea nullum amplius impedimentum ratione cognationis huiusmodi subesse decernimus, & declaramus, quominus inter dictos maritũ vel vxorem suscipientis, & baptizatum, baptizatiq; patrem, & matrem, & quascunque alias personas tam ex parte suscipientis

ſcipientis quàm baptizantis, & baptizati, in dicto Concilio nominatim non expreſſas, matrimonium liberè, & licitè contrahi poſſit, & ita ab omnibus iudicari debere mandamus atque ſtatuimus, Decernentes irritum, & inane, ſi quid ſecus a quoquam quacunque dignitate, auctoritate,& poteſtate prædicto contigerit iudicari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, aliiſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem quod præſentes litteræ in Cancellaria noſtra Apoſtolica, & acie Campi Floræ de more publicentur, & inter conſtitutiones perpetuo valituras deſcribantur: Et quia difficile foret præſentes ad ſingula quæque loca deferri, quod earum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarii ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius Prælati munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur,ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, decreti, mandati,ſtatuti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei,ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto, quarto Calendas Decembris, Pontificatus noſtri anno Primo.

Cæſ. Glorierius.

H. Cumyn.

S. D. N. PAPÆ PII V.

Declaratio Decreti Concilii Tridentini de impedimento affinitatis ex fornicatione proueniente.

Pius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

AD Romanum Pontificem ſpectat canonicas ſanctiones, quæ expreſſiorem ſenſum poſtulare videntur, re

F dili-

diligenter perspecta ita declarare, & alias prouidere, vt omnis dubietas de piis christifidelium mentibus euellatur. Sane postquam ex eo quod Tridentina Synodus impedimẽtum affinitatis ex fornicatione proueniens, per quod non solum matrimonium contrahi prohibetur, sed etiam posteà factum dirimitur, ad eos tantum restrinxit, qui primo, & secundo gradu coniunguntur, in vlterioribus vero gradibus statuit matrimonium posteà factum non dirimi, a pluribus christifidelibus, vt accepimus, est dubitatum, an licet in vlterioribus gradibus huiusmodi matrimonium contractum non dirimatur, adhuc tamen iuxta antiquos canones contrahi prohibeatur. Et propterea nos omnem ambiguitatem tollere, & animarum tranquillitati, ac matrimonii libertati quantum cum Deo possumus consulere volentes, Declaramus, & Apostolica auctoritate decernimus nullum hodie impedimentum remanere quominus in vlterioribus gradibus huiusmodi liberè, & licitè matrimonium contrahi possit, & ita ab omnibus iudicari debere mandamus, atque statuimus, decernentes irritum, & inane si quid secus a quoquam quacunque dignitate, auctoritate, & potestate præditò contigerit iudicari, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, aliisque contrariis quibuscũque. Volumus autem quod præsentes litteræ in Cancellaria nostra Apostolica, & in acie Campi Floræ dę more publicentur, & inter constitutiones perpetuo valituras describantur, & quia difficile foret eas ad singula quæque loca deferri, quod earum transumptis etiam impressis manu alicuius Notarii subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, decreti, mandati, statuti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri, & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicę Millleſimo quingentesimo sexagesimo sexto, quarto Calen. Decembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

Cæ. Glorierius.

Declaratio decreti ſacri Concilii Tridentini, ſuper impedimento publicæ honeſtatis.

Pius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

AD Romanum ſpectat Pontificem ſua ſolicitudine diligenter prouidere, vt ſacrorum Conciliorum decreta ita ſuæ declarationis adminiculo dilucidentur, quod nulla deſuper dubitandi occaſio cuiquã relinquatur. Sane ad aures noſtras peruenit multos eſſe, qui dubitent, an decretum œcumenici Concilii Tridentini Seſſione vigeſimaquarta de reformatione matrimonii capitulo tertio, quo cauetur impedimentum publicæ honeſtatis, vbi ſponſalia valida non fuerint, prorſus tolli, vbi verò valida fuerint, non excedere primum gradum, cum in vlterioribus gradibus non poſſit huiuſmodi prohibitio ſeruari; de ſponſalibus per verba (vt aiunt) de futuro tantum conceptis intelligatur, vel etiam matrimonia per verba de præſenti contracta non tamen conſummata, quæ interdum ſpõſalia appellantur, comprehendat, ita vt etiam eo caſu impedimentum inde proueniens ſublatum fuerit. Nos itaque vt omnis difficultas, dubitatioq; tollatur, attendentes, quod ſponſaliorum appellatione, qua dictum Concilium vtitur, non niſi impropriè matrimonium verbis de præſenti conceptis contractum continetur: quodque agitur de correctione iuris veteris, quo caſu ſecundum proprietatem verborũ duntaxat procedendum eſt, præſertim cum longe maiorem rationem prohibitionis in matrimonio per verba de præſenti contracto, quam in ſponſalibus de futuro vigere à nemine dubitetur: Idcirco Motu proprio auctoritate apoſtolica tenore præſentium declaramus, & diffinimus decretum Concilii huiuſmodi omnino intelligendum eſſe, & procedere in ſponſalibus de futuro duntaxat, non autem in matrimonio ſic (vt præfertur) contracto, ſed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis caſibus, & gradibus,

quibus de iure veteri ante prædictum decretum Concilii introductum erat, & ita ab omnibus iudicari debere, mandamus, atque statuimus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, aliisq; contrariis quibuscúq;. Volumus autem quod præsentes litteræ in Cancellaria nostra, & acie Campi Floræ de more publicentur, & inter cóstitutiones perpetuo valituras describantur. Et quia difficile foret prçsentes ad singula quçque loca deferri, volumus & etiam declaramus, quod earum transumptis etiam impressis manu alicuius Notarii subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis eadem prorsus fides vbicunq; adhibeatur, si forent exhibitç, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrç declarationis, diffinitionis, mandati, statuti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo octauo, Cal. Iulii, Pontificatus nostri Anno tertio.

Cæsar Glorierius.

H. Cumyn.

BVLLA S. D. N. PII V.

Super sodalitate nominis Dei.

Pius Papa V. Ad futuram rei memoriam.

DECET Romanum Pontificem æqui, & boni supremum assertorem ita cuncta prouido suo iudicio discutere, vt & scandalis quibuslibet obuietur, & ea quæ in diuini nominis gloriam sunt stabilita, votiuum suscipiant incrementum, Accepimus sane nuper, quod licet societas nominis Dei, siue iuramentorum originem, & ortum habuerit ab ordine Prædicatorum, eo quod ab eiusdé ordinis professoribus fuerit instituta & aucta, necnon in-

teruentu dictorum filiorum fratrum dicti ordinis multæ indulgentiæ, aliaque priuilegia & fauores dictæ societati ab Apostolica sede fuerunt concessa, tamen multi Clerici, & Parochi in suis Ecclesiis dictam societatem erigere student, ita vt aliquando sint plures in eadem ciuitate societates, seu Confraternitates dictæ inuocationis nominis Dei, seu iuramentorum, in diminutionem obseruantiæ, & deuotionis, quæ ex frequentia conuenientium oriri solet, & non sine aliqua confusione, quæ ob præfatam causam in die Circuncisionis Domini quando festum prædictę societatis, seu Cōfraternitatis celebrari debet, accedere consueuit. Nos in præmissis pro nostri Pastoralis officii debito opportune prouidere volentes, Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione, & certa scientia nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, Quod in ciuitatibus, oppidis, & locis totius orbis Christiani, in quibus fuerint Ecclesiæ ordinis Prædicatorum, ibi tantum, vel in huiusmodi ciuitatibus, oppidis, & locis, & in dictis Ecclesiis Prædicatorum dumtaxat, dicta societas, seu Confraternitas huiusmodi instituantur in ciuitatibus, oppidis, aut locis, in quibus non fuerit dicti ordinis domus, aut in finitimis Ecclesiis absque licentia Prioris Prouincialis, seu Conuentualis dicti ordinis, in cuius districtu sita fuerit Ecclesia, in qua dicta Confraternitas, seu societas est, vel erit erigenda. Quod si secus factū fuerit, confratres taliter admissi dictæ Confraternitatis, seu societatis indulgentias non consequantur, nec fauoribus, aut priuilegiis gaudeant, quæ confratribus legitime adscriptis per sedem præfatam conceduntur, apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuo statuimus, & ordinamus, ac etiam districtius inhibemus, sicque volumus, & præcipimus. Et nihilominus dilectis filiis conseruatoribus dicti ordinis per præsentes Motu simili mandamus, vt contradictores, seu attentantes auctoritate nostra prohibeant, ac etiam per censuras ecclesiasticas aliasque pœnas etiam pecuniarias, ac cætera iuris, & facti remedia opportuna appellatione postposita compescant, & reprimant, super quibus illis facultatem, potestatem, & auctoritatem eisdem

auctoritate, & tenore concedimus, & impartimur. Decernentes præsentes litteras de surreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari, seu alias quomodolibet infringi, vel retractari nullatenus vnquam posse, sed eas semper validas, & efficaces existere, suosq; plenarios effectus sortiri, & obtinere, necnon ab omnibus quos illæ concernunt inuiolabiliter perpetuo obseruari, sicque in præmissis ab omnibus censeri, & ita per quoscunque Iudices, & Commissarios, etiam S. R. E. Cardinales, ac Palatii nostri Apostolici causarum Auditores, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari & definiri debere, Irritum quoque & inane si secus super his a quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac fel. re. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & Cõcilii generalis de duabus dietis, dummodo non vltra tres ad iudicium vigore præsentium non trahatur, & aliis apostolicis constitutionibus, & ordinationibus, nec non dicti ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Priuilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, etiam motu, & scientia similibus etiam consistorialiter, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, indiuidua, & expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata insererentur præsentibus, pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscunque: aut si aliquibus communiter, vel diuisim à prædicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Cæterum

Cæterum quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca vbi neceſſarium fuerit deferre, volumus quod illarum tranſumptis manu alicuius notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die vigeſima prima Iunii, Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

B. Melchiorius.

B. de Caſtro.

CONSTITVTIO S. D. N. GREGORII XIII.

De eleemosynis Monialibus præſtandis.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

DEO ſacris; Virginibus, quæ contemptis illecebris ſæculi, diuinis ſe obſequiis manciparunt, æquiſſimum eſt præcipua quadam a nobis, ac ſingulari ſollicitudine prouideri, tum vt ab eis omnia, quæ ſanctum ipſarum propoſitum impedire poſſent, remoueantur, tùm etiam vt eis in cultu Dei caſte, ac religiosè permanentibus, quæ ad victum neceſſaria ſunt, ſubminiſtrentur. Et quidem poſt ſacri Concilii Tridentini decretum, quo conſtitutio fel. rec. Bonifacii Papæ viii. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, Periculoſo, renouatur, prohibens ne aut ipſis monialibus ex monaſteriis ſuis egredi, aut vlli cuiuſcunque ſexus, aut ordinis perſonæ ad eas ingredi liceat, Et præterea vniuerſis Epiſcopis præcipitur, vt in omnibus monaſteriis ſibi ſubiectis, in aliis vero ſedis Apoſtolicæ auctoritate clauſuram ſanctimonialium, vbi violata, diligenter reſtitui, ubi vero inuiolata, conſeruari, maximè procurent. Piæ memoriæ Pius Papa V. etiam prædeceſſor noſter victui quoque & neceſſitatibus ipſarum proſpicere cupiens, cum ſuperiora illa approbaſſet, atque innouaſſet, eademq; omnia etiam in

monialibus quarumcunq; Militiarum etiam Hierosolymitanæ, omnibusq; aliis tacitè vel expresſè religionem profeſſis, quocunque nomine cenſerentur, locum habere decreuiſſet: ne illæ quicquam detrimenti in neceſſitatibus ſuis hac occaſione paterentur, etiam præcepit locorum ordinariis, & ſuperioribus earum, vt fidelium eleemoſynas per conuerſas non profeſſas, vel profeſſas quidem, ſed ætatis ſaltem quadraginta annorum, & iam pridem conuerſas, quę in domibus contiguis, extra tamen monaſterium degerent, colligendas curarent; ita tamen vt prædictæ Conuerſæ neque clauſuram aliarum monialiũ, niſi in caſibus permiſſis, ingrederentur, nec ex illis ipſis habitationibus ſuis ad tales eleemoſynas colligendas ſine permiſſu Ordinariorum, aut ſuperiorum ſuorum exire poſſent. Quod ſi ne hoc quidem ſufficere videretur, idem Pius prędeceſſor mandauit ipſis ordinariis, & ſuperioribus, vt negotium darent aliquibus perſonis piis tales eleemosynas colligendi, aliaque arbitratu ſuo proſpicerent, quæ ad ſubleuandam monialiũ inopiam expedire iudicarent. Cùm autem, ſicut accepimus, multæ moniales, etiam quæ Tertiariæ vocantur, ſub ſolemni religionis voto, perpetuaque clauſura degentes, aliæque talibus litteris comprehenſæ, & in ipſa clauſura permanentes multis præterea ad ſe ſuſtentandas neceſſariis egeant; neque vſque ad hoc tempus vllo ſufficienti remedio earum neceſſitatibus ſubuentum ſit; quin etiam aliæ Tertiariæ citra vllum ſolemne hucuſque votum viuant, quæ ad ſuas ſuorumue domos neutiquam rediture eſſent, ſed ſub ſolemni religionis voto, & clauſura prædictis permanerent, ſi earũ congruæ ſuſtentationi prouideretur. Nos, qui illas neceſſariis rebus diſtitui nolumus, certioreſque facti ſumus in in multis ciuitatibus, oppidis, villis, aut aliis locis tam in Eccleſiis, & Monaſteriis, quam Hoſpitalibus, Collegiis, Confraternitatibus, & aliis locis piis, etiam quæ a priuatis hominibus, tùm Eccleſiaſticis, tùm Laicis multas ac diuerſas eleemoſynas Chriſti pauperibus erogari, Conſiderantes in huiuſmodi perſonas, vel in primis exercendam eſſe charitatem, quæ voluntaria paupertate ſuſcepta ab omni hominum commercio ſegregatæ, Deo ſeruiunt, & aſſiduis preci-
bus

bus iram ipsius, ob peccata conceptam, à Christiano populo deprecantur; Illud quoque cogitantes, si eis ad tales eleemosynas petendas ad loca prædicta conferre se liceret, vix fore, vt prędicta Monasteria, Ecclesiæ, loca, ac personæ eis singulis non tantum saltem tribuerent, quantum singulis aliis pauperibus eodem concurrentibus solent. Vniuerso illi Deo deuotarum mulierum generi de opportunæ ac sufficientis subuentionis auxilio prouidere cupientes, De nobis attributæ potestatis plenitudine statuimus, & ordinamus, vt omnes, & quicunque Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, & alii Ecclesiarum Prælati, necnon Abbates, Priores, Prępositi, & alii Ecclesias Patriarchales, Primatiales, Metropolitanas, Cathedrales, & alias Ecclesias, necnon Monasteria, Prioratus, Præposituras, Canonicatus, præbendas, dignitates, personatus, administrationes, officia, cæteraq; beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura sęcularia, & Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cistercien. Cluniacen. Pręmonstraten. Cartusien. Camaldulen. Sancti Basilii, Cassinen. aliàs Sanctæ Iustinæ, Montis Olíueti, Sancti Saluatoris, ac Lateranen. & Cruciferorum, seu Fratrum Sancti Hieronymi, necnon Prædicatorum, Minorum, Minimorum, & Carmelitarum, Eremitarum eiusdem S. Augustini, Seruorum Beatę Marię, Sanctę Claræ, & quorumcunque aliorum tam virorum quam mulierum etiam Mendicantium ordinum, & Congregationum, & Militiarum regularia, etiam de iure patronatus Laicorum, etiam nobilium, Ducum, Regum, & aliorum Principum existentia, in titulum, commendam, administrationem, & aliàs quomodocunque obtinentes, necnon Rectores, Gubernatores, Confratres, Administratores, cęteriq; omnes, qui ratione illorum, necnon Capitulorū, Conuentuum, Mensarum, Hospitalium etiam Laicorum, & per Laicos administrari solitorum, Christifidelium, Confraternitatum, Scholarum, Collegiorum, ac aliorum piorum locorum quocumq; nomine nuncupatorum, & in quibusuis mundi partibus consistentium, quæ singulis annis, mensibus, hebdomadis, vel diebus ex Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, Officiorum, dignitatum, & bene-

 ficiorum,

ficiorum, ac Congregationum, Hoſpitalium, Confraternitatum, Scholarum, Collegiorum piorum, & aliorum locorum prædictorum fructibus, redditibus, & prouentibus pauperibus Christi aliquas eleemoſynas in pane, frumento, farina, vino, eduliis, pecunia, ſeu aliis ad victum vel veſtitum pertinentibus, etiam ad ſupplicationem & preces & per cedulas & bollettina, aut alias diſtribuere,& elargiri ab immemorabili tempore conſueuerunt,aut alio quocumque iure tenentur, ex dictis fructibus, redditibus, & prouentibus, & quoad Hoſpitalia prædicta ex iis, quæ, ſeruata in illis actuali Hoſpitalitate, ſuperſunt, ſeu ſupererint, necnon quæcunq. perſonæ particulares,etiam laicæ, vel vniuerſitates etiam laicorum, quæ teſtamento, vltima voluntate, vel alia diſpoſitione, etiam inter viuos, aliquas tales eleemoſynas facere tenentur, dimidiam partem omnium,& quarumcumque eleemoſynarum, & largitionum huiuſmodi quocumque nomine nuncupatarum, quocumque tempore & modo diſtribui ſolitarum,etiam ſi ſpeciali nota dignæ, & ſecundum pias defunctorum,aut aliorum voluntates ſub certa forma ab eis in teſtamento, vel alia quacumque diſpoſitione diſtribuendæ ſint,dummodo non in certas perſonas, nec ad certos vſus pios alios, quam victus, & alimenta pauperum diſtribuantur, quibuslibet prædictarum Monialiũ, etiam Tertiariarum ſub ſolenni religionis voto, & perpetua clauſura de cætero viuentibus, & in terris & locis, quorum pauperibus huiuſmodi eleemoſynæ diſtribuuntur, conſiſtentibus, vere, realiter & cum effectu, & abſque vlla eleemoſinarum & largitionum huiuſmodi petitione, exactione, & conquiſitione, aut alia deſuper à nobis expectata iuſſione, aut mentis noſtræ declaratione, ac quibuſuis mora, ſubterfugio, ac exceptione, ceſſantibus, & eiectis, dare atque diſtribuere omnino teneantur, & quam dimidiam partem nos illis applicamus. Vt autem præmiſſa omnia cum charitate, & pietate procedant, & efficaciter ſuum effectum ſortiantur, vniuerſis & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum ordinariis per Apoſtolica ſcripta mandamus, & quiſque per ſe vel alium ſeu alios ad præſentium executionem in ſuis ciuitatibus, & diœceſi-

bus,

bus procedens, ab Ecclesiis Monasteriis, Hospitalibus, Cófraternitatibus, Scholis, Collegiis, locis, & Ecclesiasticis, ac laicis personis prędictis, etiam quomodolibet exemptis, dimidium eleemosynarum huiusmodi exigant, ac pro portione, vt ordinariis ipsis locorum ęquum esse videbitur, singulis pauperum Monialium etiam Tertiarum Monasteriis huiusmodi suarum ciuitatum, & diœcesum, etiam si aliis superioribus subiecta sint, cum effectu distribuant. Nos enim eisdem locorum Ordinariis etiam tanquam Apostolicę Sedis delegatis, ac cuilibet illorum tam per se, quam aliũ vel alios pręmissa faciendi, ac etiam contradictores quoslibet & rebelles per pœnas pęcuniarias eorũdem Ordinariorum, & cuiuslibet illorum arbitrio infligendas, & applicandas, ac in subsidium sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaq; opportuna iuris, & facti remedia quacunque appellatione postposita respectiue compescendi, auxiliumq; brachii sæcularis inuocandi, aliaq; in præmissis & circa ea necessaria, & opportuna faciendi, gerendi, mandandi, & exequendi, plenam, & liberam facultatem, & auctoritatem concedimus, & impartimur. Insuper, quia valde rationi consonum est, vt etiam ii, qui ipsis Monialibus etiam Tertiariis indigentibus pręfatis consanguinitate aliqua sunt coniuncti, aliquod in pręmissis subsidium conferant, cum ratio sanguinis, & debitum charitatis & honestatis id expostulet, singulis locorum Ordinariis committimus, vt omni eos officio & diligentia monere, eisq; persuadere studeant, parentes vero & fratres ac alios, ad quos illas, si in sęculo permansissent, dotare pertinebat, vel ad quos bona & successiones deuenerunt, & qui si eas nuptui tradidissent, multo amplius, quam ingredientibus Monasterium dedissent, vel qui si eas nunc domi retinerent, vel si ad illorum domos redirent, eas alere tenerentur, quibuscunque viis ipsa beneuisis inducant, vt Monialibus etiam Tertiariis prædictis iuxta eorum facultates charitatiue subueniant, scituri id sibi etiam ad animarum salutem plurimum profuturum. Cęterum quod attinet ad Conuersas professas, quas prędictus PIVS prędecessor per prędictas litteras sub certis conditionibus ibi contentis permisit posse

manere extra Monasteria pro colligendis eleemosynis, eisdem locorum Ordinariis iniungimus, vt quibus Monasteriis prędictarum Monialium quotidianis laboribus computatis, supradicta, vel alia qualibet ratione de sufficienti subuentione, & sustentatione prouisum esse cognouerint, easdem Conuersas sub eadem clausura cum aliis Monialibus reducant, neque à suis Monasteriis amplius exire permittant. Conuersas vero non professas, & profiteri nolentes dimisso habitu domum remittant; neque aliàs in futurum, nisi professionem suo tempore emissuras, atque sub perpetua clausura mansuras in Monasteria huiusmodi recipi permittant. Quod autem idem PIVS prædecessor statuit de cætero nullas alias Conuersas professas recipi amplius etiam de consensu suorum superiorum posse, ita esse intelligendum declaramus: præter illas Conuersas, quæ extra Monasterium in domibus contiguis degerent. Eleemosynarum vero prædictarum contributionem & applicationē durare, & valere decernimus, ac suos effectus ad plenum sortiri debere, donec numerus Monialium etiam Tertiariarum huiusmodi (quem per ipsos locorum ordinarios etiam in Monasteriis ab eorum cura, & regimine quomodocumque exemptis, cum illarum superiorum interuentu stabiliri, & ordinari, neque supra illum numerum alias recipi posse, etiam de consensu superiorum suorum, volumus, & mandamus) ita imminutus fuerit, vt reliquæ Moniales & Tertiariæ ex propriis redditibus Monasteriorum ipsorum, vel consuetis eleemosynis se commode sustentare queant; super quo eorundem Ordinariorum conscientiam oneramus: ita tamen vt decedentibus singulis ex tribus earundē Monialium partibus tertiæ quoque earundem eleemosynarum partis distributio, & sic successiue in totum extinguantur, atque in pristinum statum sub debitis, aut solitis oneribus reuertantur, & remaneant. Declaramus præterea nullis Monialibus etiā Tertiariis licere habere ostium, per quod ex Monasterio introiri possit in ipsarum Monialium Ecclesiam exteriorem, in quam sæcularibus ad Missas & Diuina officia patere solet accessus, sed omnino muro obstruendū, neque itidem licere Monialibus etiam Tertia-

tiis egredi à ianua Monasterii, quæ est pro clausura ipsius Monasterii, etiam ad claudendum aliam vlteriorem ianuã, qua patere solet aditus sæcularibus venientibus vel ad rotã, vel ad crates, seu loca colloquiis destinata, quæ vulgo parlatoria vocantur, vel ad pulsandum ipsam ianuam clausurę: quę loca, cum saltem pro causis prędictis patere solent sęcularibus, extra clausuram censeri debent, etiam quo tempore clausa sunt. Insuper quoscunque Dominos & Magistratus temporales in Domino hortamur, monemus, & requirimus vt ad omnem ipsorum Ordinariorum, aut alicuius ipsorum petitionem, vel simplicem requisitionem illis in præmissis assistentes omnem opportunum fauorem, & auxilium pręstent, & exhibeant. Ipsis denique Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum ordinariis præcipimus, & mandamus, vt has pręsentes nostras litteras (quarum transumptis etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eandem vbique fidem in iudicio & extra adhiberi debere volumus, quę ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensę) singuli in sua Ciuitate diœcesi publicẽt ac publicari, easque iuxta earum continentiam, & tenorem vna cum prędictis ac aliis prędicti PII Quinti, & aliorum prædecessorum nostrorum litteris, & constitutionibus, & iussionibus pro integra clausurę instauratione, custodia, & firmitate editis inuiolabiliter, obseruent, & obseruari faciant. Non obstantibus testatorum, & aliorum voluntatibus, ac fundationibus, & Bonifacii prędicti de vna, & Concilii generalis de duabus, non tamen tribus dietis, ac quibusuis aliis Apostolicis, necnon in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusuis Ecclesiarum, Monasteriorum, & illorum ordinum, Hospitalium, Militiarum, Confraternitatum, Collegiorum, & aliorum piorum locorum prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, priuilegiis quoque indultis, exemptionibus, libertatibus, gratiis, & litteris Apo-

stolicis

ſtolicis Eccleſiis, Monaſteriis, & ordinibus, Hoſpitalibus, Confraternitatibus, Collegiis, & Piis locis, ac eorum ſuperioribus, & perſonis ſub quiſcunq; tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarũ derogatoriis, aliiſq; efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque,& aliis decretis in genere vel in ſpecie ac aliàs quomodolibet conceſſis, confirmatis, approbatis, & pluries innouatis; etiam ſi in eis caueatur expreſſe, quod illis niſi ſub certa inibi expreſſa forma, aut aliàs derogari non poſſit: Quibus omnibus & ſingulis, etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autẽ per clauſulas generales idem importantes, mentio,ſeu quæuis alia expreſſio habenda foret,tenores huiuſmodi ac ſi de verbo ad verbum insererentur præſentibus, pro plene & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque: aut ſi ſupradictis vel quibuſuis aliis ab Apoſtolica ſit Sede indultũ, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ ordinationis, ſtatuti, applicationis, conceſſionis, impartitionis, commiſſionis, iniunctionis, declarationum,decreti, voluntatis, onerationis, hortationis, monitionis, requiſitionis, pręcepti, mandatorum, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei,ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo. Tertio Calendas Iunuarii. Pontificatus noſtri anno Primo.

Cæſ. Glorierius.

CON-

Per quam indulgentiæ conceduntur omnibus, ciuitatis, diœcesis, & Prouinciç Mediolanen. Christifidelibus, qui datis campanç signis, certo temporis spatio, in ecclesia orationi vacauerint.

Gregorius Papa XIII. Vniuersis, & singulis Christifidelibus ciuitatis, & Diœcesis, Prouinciçq. Mediolanensis, Salutem, & apostolicam benedictionem.

COELESTIA arma, quibus inter cetera, dum in hoc sçculo nequam peregrinantur Christifideles ad uersus suæ salutis hostes in colluctatione assidue vtẽdum eis est, preces sunt, & oratio sancta. Cuius quidem orationis studium, cum & perpetuum, & proprium, & necessarium eisdem esse, non solum verbis, sed exempli sui contestatione docuerit vnigenitus Dei filius, Christus, virtus, & sapientia patris: nos, quæ ad sanctam illam precandi, orandiq; exercitationem pie ac religiose, inspirante Deo, instituta sunt, in iis illos sollicite versari, spiritaliq; virtute longius in dies semper progredi, summopere in Domino cupimus. Quare cum inter alia, quæ ad exercendam populi sui pietatem, sollicitudinis studio, dilectus filius noster Carolus Borrhomæus tituli sanctæ Praxedis S. R. E. presbyter Cardinalis, Ecclesiæ Mediolanensis Archiepiscopus, vtiliter instituit, illud ab eodem nuper introductum esse acceperimus, vt, singulis diebus, dato certo campanarum signo, patres familias, tum in vrbe Mediolano, tum in Diœcesi, vna cum reliquis, qui de familia sunt, suæ quisque domi, ad orandum in locum vnum conueniant: salutare hoc institutum, nos illius commendantes charitatem in nobis, vt in consuetudinem, vsumq; perpetuum recipiatis, per Crucem Christi Domini vos nostra Apostolica auctoritate hortamur. Quo autem ardentiori pietatis zelo, ac frequentissime in ea re, tã religiose instituta, perseueretis; spiritualibus vos gratiis prosequi, & sanctæ Matris Ecclesiæ amplioribus et donis, ac thesauris cumulare volumus.

Itaque

Itaque de Omnipotentis Dei, cuius Vicarium in terris gerimus, misericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, & singulis vtriusq; sexus Christifidelibus, humili, & contrito corde ad Deum conuersis, qui, datis campanæ signis, certo eo temporis spatio ab eodem Cardinale, & Archiepiscopo, præscripto, aut pro tempore præscribendo, orationi vacauerint, quoties id fecerint, dies centum; qui vero singulis diebus per totam hebdomadam ad præscriptum illud temporis spatium, in ea orandi exercitatione perseuerauerint, iis annũ præterea; qui per mēsem, illis annos septem: & totidem quadragenas de iniunctis, vel aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis; qui autē salutaris huius instituti vsum retinuerint, si cōtriti, & confessi, die Dominico Quadragesimam proxime præcedēte, Sanctissimum Eucharistię Sacramentũ deuote sumpsērint, iis plenariam omnium, & singulorum peccatorũ suorũ Indulgentiam; ac plenariam item in articulo mortis, misericorditer in Domino concedimus, & elargimur.

Vtq; ad alias etiam eiusdem Mediolanensis prouinciæ Vrbes, Oppida, Vicos, & loca quæuis, orandi hæc instituta exercitatio sanctè deriuetur; & quæ vsquam instituta est, pie retineatur, & conseruetur: nos pro ea, quam gerimus, omniũ Ecclesiarum sollicitudine, hanc ipsam Indulgentiam omnibus, & singulis aliis Christifidelibus, qui vsquam in eadē Prouincia hoc precandi institutum, ab suo Episcopo iam introductum, vel in posterum introducendum amplexi sunt aut amplectentur, eodem, vt supra, modo in Domino concedimus his litteris: quas sub quibusuis similium, vel dissimilium Indulgentiarum reuocationibus, suspensionibus, vel derogationibus per nos, seu sedem Apostolicam, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, pro tēpore editis, & edendis nullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas, & quoties illa edentur, in pristino statu esse, & censeri, atq; eisdem Christifidelibus perpetuo suffragari debere decernimus. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 24. Octob. 1572. Pontificatus nostri Anno primo.

Cæ. Glorierius.

CON-

CONSTITVTIO SANCTISSIMI D. N. GREGORII XIII.

De indulgentiis concessis omnibus vtriusque sexus Christifidelibus ciuitatis, diœcesis, & prouinciæ Mediolanen. qui alicui doctrinæ christianæ Sodalitati se adscripserint, vt debitam in ea operam præstent.

Gregorius Papa XIII. ad perpetuam rei memoriam.

IESV CHRISTI Redemptoris, qui in lucem gentium doctor iustitiæ à benignissimo Patre Deo datus est, doctrina, in diuinis illis virtutibus, fide, spe, & charitate elucens, dum hominum mentes in terris instruit, certissimum eisdem iter commonstrat ad cœlestem, & æternam vitam: ad quam nati cum sint fideles, diligenti cura opus est, vt ab ineunte vsque ætate, cum præsertim sensus hominis ad vitia procliues sint, salutaribus illis fidei, doctrinæq; christianæ institutis, ac præceptis imbuantur, atque conformentur. Quo circa post Lateranen. Concilii ea de re decretum nuper Tridentina sancta Synodus id pie statuit, vt saltem Dominicis, & aliis festis diebus in singulis parochiis Christianæ fidei rudimenta pueris tradantur, iidemq; ad obedientiam Deo, & parentibus præstandam, accurate erudiantur: cumq; Episcoporum in primis sit videre, ne, cum paruuli petant panem, desit, qui frangat eis, illius rei exequendæ curam Pastorali eorum vigilantiæ magnopere commendauit; censurisq; Ecclesiasticis per eos, si opus sit, agi contra illos voluit, qui hoc, quod deberent, officium non præstiterint. Itaque saluberrimo hoc decreto incitatus, & Ecclesiasticæ disciplinæ zelo incensus, Dilectus filius noster, Carolus Borrhomęus, tituli Sanctæ Praxedis, Sanctæ Romanę Ecclesię presbyter Cardinalis, Archiepiscopus Mediolani, iam cum, sicut accepimus, priori suo prouinciali Concilio vna cum suæ prouinciæ Episcopis aliquid hac ipsa de re ex Tridentini eiusdem Synodi auctoritate constituerit altero suo Prouinciali Concilio, quo diligentius & vtilius Parochi in illud suum tradendæ doctrinæ munus in-

cumberent, aliorum opera adiuti, piorum hominum sodalitates, eo nomine in sua, & in quibusdam aliis Prouinciæ Mediolanensis Ecclesiis iampridem institutas, ac vehementius ibidem Pastoralibus studiis excitatas, in reliquis singulis eiusdem Prouinciæ vrbibus, vicis, ac locis de Prouincialium Episcoporum consilio, & assensu constitui decreuit. Nos igitur, qui pro officii nostri munere vehementer hoc optamus, vt Christifideles semper, tum maxime festis diebus in iis studiis, atque exercitationibus versentur, quæ ad excitandam pietatem, ad informandos mores, ad procurandam æternam vitam pertinent, primum quidem ipsius Caroli Cardinalis, & Venerabilium fratrum nostrorũ Prouinciæ Mediolanensis Episcoporum diligentiam, sollicitudinemq; Pastoralem plurimum in Domino laudamus: deinde cum cupiamus, vt, quæ Deo auctore pie sanctèq; institutæ sunt, & propagatæ illo nomine sodalitates, eæ in dies magis, adiutrice diuina gratia, ad Christi Domini gloriam, & animarum salutem augeantur; vniuersas eas sodalitates in Ciuitate, Diœcesi, & Prouincia eadem Mediolanensi, iam institutas, & in posterum instituendas, tum singulos vtriusque sexus in illis adscriptos, adscribendosue specialibus fauoribus, & spiritualibus gratiis complecti voluimus. Quamobrem de Omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, & singulis Christifidelibus, viris, & fœminis, qui, quæue in eadem, & Vrbe, & Diœcesi, & Prouincia Mediolani alicui doctrinæ Christianæ sodalitati se adscripserint, vt debitam in ea operam pręstent, eis vere pęnitentibus, & confessis annos decem, & totidem quadragenas, cum vero iidem in officio suo perseuerantes, confessi, & contriti, Domini corpus sumpserint, illis alios decem, & quadragenas totidem, quoties autem in doctrinę Christianę scholis operam nauauerint, centum dies de iniunctis pęnitentiis, vel alias quomodolibet debitis misericorditer in Domino relaxamus; ac pręterea cum iidem certo die, quem vnum in anno idem Cardinalis Archiepiscopus, eiusue pro tempore successor, aut alibi in Prouincia Episcopus, in sua quisque Ecclesia pręscripserit, sacram Communionem

sum-

sumpserint, plenariam omnium, singulorumq; peccatorũ suorum Indulgentiam, & remissionem, ac plenariam item eisdem in mortis articulo constitutis, sanctum Iesu nomen ter inuocantibus, vel orationem Dominicam, Salutationemq; Angelicam semel recitantibus, etiam misericorditer in Domino concedimus atque elargimur his litteris, quas sub quibusuis similium, vel dissimilium Indulgentiarum reuocationibus, suspensionibus, vel derogationibus per nos seu Sedem Apostolicam, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, pro tempore editis, & edendis nullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas, & quotiens illa edentur, in pristino statu esse & censeri, atque eisdem Christi fidelibus perpetuo suffragari debere decernimus. Datum Romæ apud sanctũ Petrum sub anulo Piscatoris, die 30. Octobris 1572. Pontificatus nostri Anno Primo.

Cæsar Glorierius.

LITTERÆ SANCTISSIMI D. N. D. GREGORII PAPAE XIII.

Concessionis indulgentiarum, & gratiarum Confraternitati Sanctissimi corporis Christi.

Gregorius Episcopus, seruus seruorum Dei.

VNIVERSIS Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem. Licet is, de cuius munere venit, vt sibi à suis fidelibus dignè, & laudabiliter seruiatur, de abundantia suæ pietatis, quæ merita supplicum excedit, & vota; benè seruientibus sibi multò maiora retribuat, quàm valeant promereri: Nihilominus desiderantes, Domino populum reddere acceptabilem, & bonorum operum sectatorem, fideles ipsos ad complacendum sibi, quibusdam allectiuis muneribus, Indulgentiis videlicet & peccatorum remissionibus inuitamus, vt exinde reddantur diuinæ gra-

tiæ aptiores, Vt igitur Christi fideles ad ingrediendas confraternitates sub inuocatione sanctissimi Corporis Christi in ciuitate, & diœcesi, ac prouincia Mediolanen. hactenus canonicè erectas, & imposterum erigendas eò libentius inducantur, quò exinde vberiori cœlestis gratiæ dono conspexerint se refectos; De omnipotentis Dei, misericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, & singulis Christifidelibus, qui dictas confraternitates ingredientur, die illorum ingressus, Plenariam, ac confratribus ipsis nunc, & pro tempore existentibus, ac eorum singulis ter in vita, eorum peccatis prius confessis, & Eucharistiæ sacramento deuotè recepto, similiter plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiā concedimus: ipsisq; confratribus, qui prædictum Sacramentum infirmis ministrandum associauerint, seu impediti, associari fecerint, ac processionibus, & diuinis officiis, quæ per eosdem confratres celebrari facere contigerit, interfuerint, quoties id fecerint, centum dies. Qui verò ecclesiam, in qua aliqua confraternitas eiusdem sanctissimi Corporis Christi instituta fuerit, diebus Veneris cuiuslibet hebdomadæ totius anni deuotè visitauerint, alios centum dies de iniunctis eis, seu quæ iniungi deberent, pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus; præsentibus perpetuis futuris temporibus valituri. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, priuilegiis quoq; indultis, & litteris Apostolicis confraternitati de Minerua, illiusq; cōfratribus sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibuscunque clausulis, & decretis, tam per fœlicis recordationis Paulum III. quam alios Romanos Pontifices prædecessores nostros concessis. Quibus omnibus, etiam si de illis, & illorum tenoribus mentio habenda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisq; contrariis quibuscunque. Volumus autem, quòd si confraternitates prædictas ingredientibus, & confratribus ipsis Eucharistiæ Sacramentum associantibus, vel associari facientibus, ac interessentibus, & ecclesias huiusmodi visitantibus, seu alias aliqua alia indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus non-

nondum elapſum duratura per nos conceſſa fuerit, præſentes litteræ nullius exiſtant roboris, vel momenti. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto, Idib. Aprilis, Pontificatus noſtri anno tertio.

Cæſar Glorierius.

S. D. N. D. GREGORII PAPÆ XIII.

Reuocatio omnium licentiarum ingrediendi monaſteria Monialium & virorum.

GREGORIVS Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Ad futuram rei memoriam.

VBI gratiæ & indulta ab hac Sede conceſſa ſucceſſu temporis incommodum afferre noſcuntur; expedit illa ſalubri præſidentis conſilio ſubmoueri. Proinde ſanctimonialium quieti, & tranquillitati conſulere, ac omnia quæ illas à ſpiritualium rerum cogitatione, & exercitio auocant, impedimenta tollere, periculaq., & ſcandala ab eis remouere cupientes, auctoritate præſentium reuocamus, & abolemus omnes & quaſcunq; licentias ac facultates ingrediendi Monaſteria, Domos, & loca Monialium, ac etiam Virorum quorumuis ordinum, quibuſuis etiam Comitiſſis, Marchioniſſis, Duciſſis, & aliis cuiuſcunque ſtatus, & conditionis mulieribus, ac etiã omnes & quaſcunque licentias ingrediẽdi Monaſteria, Domos, & loca ipſarum Sanctimonialium, quibuſcunque uiris etiam eiuſdem ſtatus, & dignitatis tàm à prædeceſſoribus noſtris, quam etiam à nobis, & Sedis Apoſtolicæ Legatis, aut aliis ex quibus quantumcunque vrgentibus cauſis ſub quibuſcunque tenoribus, etiam derogatoriarum derogatoriis, reuocatoriarum reſtitutoriis, aliiſq; efficacioribus clauſulis, irritantibuſq; & aliis decretis etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, deq; Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, atque ad Imperatoris, Regum, Reginarum, alio-

rumue

rumue Principum contemplationem, vel supplicationem, concessas, confirmatas, ac etiam iteratis vicibus renouatas Cassamusq; ,& annullamus litteras desuper confectas, & processus habitos per easdem. Inhibentes eisdem, qui illas obtinuerunt, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, super qua à nemine nisi à Romano Pontifice (præterquam in mortis articulo) absolutionis beneficium possit impertiri, ne ipsarum licentiarum prætextu Monasteria huiusmodi quouismodo ingredi audeant. Abbatissis vero, necnon Abbatibus, Conuentibus, ac aliis Monasteriorum vtriusque sexus superioribus, & personis quocunq; nomine vocentur, districtè præcipimus sub eadem excommunicationis pœna, necnon priuationis dignitatum, beneficiorum, & officiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ne in Monasteria, Domos, & loca sua quemquam prætextu huiusmodi licentiarum, & facultatum ingredi faciant vel permittant. Quin etiam sub eisdem pœnis ipso facto incurrendis prohibemus atque interdicimus omnibus, & quibuscunque personis ecclesiasticis, & sæcularibus, ac etiam ordinem quorumcunque etiam mendicantium regularibus, ne prætextu licentiarum ab Episcopis, vel Superioribus, quibus illas concedendi in casibus necessariis tantum ex decreto Concilii Tridentini tribuitur, ne Monasteria ipsa Monialium pro libito, sed necessitatibus vrgentibus dumtaxat ingredi, neue Moniales sub eisdem pœnis illos aliter admittere præsumant. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, Monasteriorumq; & ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolicis, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, exemptionibus, & indultis Apostolicis, illis eorumq; Superioribus prædictis, ac aliis quibuscunq; per quoscunque Romanos Pōtifices prædecessores nostros, ac nos, & dictam sedem sub quibuscunq; tenoribus, & formis, ac cū quibusuis clausulis, & decretis concessis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus innouatis, quibus omnibus, eorum tenores, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illas

alias

alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisq; contrariis quibuscunque. Quoniam autem difficile esset præsentes ad omnia loca perferri, volumus earum exemplis etiam impressis manu Notarii publici, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem fidem in iudicio, & extra illud vbique locorum adhiberi, quæ adhiberetur præsentibus, si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reuocationis, abolitionis, cassationis, annullationis inhibitionis, præcepti, prohibitionis, interdicti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo septuagesimoquinto. Idibus Iunii Pontificatus nostri anno quarto.

M. Datarius.

Cęsar Glorierius.

A. de Alexiis.

Facultas indulgentiæ ægrot's concedendæ ab Episcopis Prou. Mediol.

Gregorius Papa XIII.

VEnerabilibus fratribus Archiepiscopo, & suffraganeis Prouin. Mediolanen. salutem, & Apostolicā ben. Quemadmodum medicos corporis sanitatē, ęgrotantibus, quos inuisunt, maximè procurare conuenit, ita etiam animarum medelæ à Deo Præfectos Antistites omni quidem tempore, sed præcipuè corporis mole, grauibus morbis obsessa, illarum curæ, & sanitati plurimum decet studere. Vt igitur id commodius, & ala-

crius

crius facere valeatis, vestramq. salutarem ægrotantes ipsi sentiant medicinam, vobis, & vnicuique vestrum, quotiescunq; in vestra Ciuitate, & diœcesi ægrotantes aliquos Christifideles in Domino visitaueritis, vt eisdem contritis, & confessis, plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam; quandocunque vero eosdem sic ægrotantes, per alios censueritis, vestro nomine visitandos, septem annos indulgentiæ, semel tantùm in illa infirmitate concedere valeatis, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorũ Petri, & Pauli Apostolorum eius, auctoritate confisi amplá, liberam, & omnimodam facultatem, & auctoritatem concedimus, & elargimur. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrariis quibuscunque. Dat. Romę apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 30. Decembris 1580. Pontificatus nostri anno octauo.

Signata Cę. Glorierius.

Concessio indulgentię orantibus in eleuatione S. Corporis Domini, & iis qui dum ad infirmos defertur deuotè prosecuti fuerint; ac illis item qui diebus festis, & frequenter communicauerint.

Gregorius Papa XIII. Ad perpetuam rei memoriam.

AD excitandam populi deuotionem, ac pietatem erga sanctissimum Eucharistię sacramentũ pro nostra pastorali sollicitudine intenti, precibus quoque dilecti filii nostri Caroli tituli sanctę Praxedis presbyteri Cardinalis Ecclesię Mediolanen. Pręsulis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus vtriusque sexus Christifidelibus Prouincię Mediolanen. qui pulsante campana in ciuitatibus, vel diœcesibus dictę prouincię ad significationem eleuationis sanctissimi Sacramenti in Missa conuentuali, vel parochiali, siue domi, siue in agro, siue in via, aut alibi fuerint genuflexi orauerint, quoties id fe

cerint

cerint, vnum annum: qui ad Ecclesiam ea de causa accurrerint, & ibi adorauerint, duos annos: qui vero sanctissimum sacramentum, cum ad ægrotum à sacerdote defertur, eundo, vel redeundo prosecuti fuerint, tres annos, qui die festo sanctissimam Eucharistiam verè pœnitentes, & confessi sumpserint, quinque annos; qui consueuerint id facere saltem semel singulis mensibus, ac præterea in festis diebus Domini Nostri Iesu Christi, B. Mariæ Virginis omniũ, Apostolorum, & sancti Ioannis Baptistæ, decem annos de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis toties quoties, misericorditer in Domino relaxamus, ac semel in anno die festo sancti præcipui patroni ciuitatis verè pœnitentibus, & confessis idem sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Contrariis non obstantibus quibuscunq;. Præsentibus perpetuis futuris tẽporibus valituris. Dat. Romæ apud S.Petrum sub annulo Piscatoris. Die decimo Aprilis 1580. Pontificatus nostri anno octauo.

Cæs. Glorierius.

Concessio indulgentiæ celebrantibus, & conuenientibus ad Missam congregationum foranearum.

Gregorius Papa XIII.

VNIVERSIS Christifidelibus præsentes litteras inspecturis salutem, & apostolicam benedictionem. Ad augendam fidelium religionem, & animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, omnibus, & singulis sacerdotibus Prouinciæ Mediolanen. qui Missam congregationis quæ quolibet mense à sacerdotibus foraneis ad præscriptum Decreti Prouincialis Mediolanen. habetur, celebrauerint, nec nõ omnibus Christi fidelibus qui dictæ Missæ interfuerint, vnum annum de iniunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus.

Præsentibus perpetuo valituris. Dat. Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die 10. Aprilis 1580. Pontificatus nostri anno octauo.

Cæs. Glorierius.

Concessio indulgentiæ certa hora orantibus pro defunctis.

Gregorius Papa XIII.

VNIVERSIS Christifidelibus in prouincia Mediolanen. constitutis præsentes litteras inspecturis salutem, & apostolicam benedictionem. Fideliũ defunctorum animas viuorum suffragiis iuuari pia charitate cupientes, spiritualia munera libenter proponimus, vt iis allecti Christi fideles deuota studiosius ipsis defunctis præstent suffragia. Itaque omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus, qui pulsante campana alicuius Ecclesiæ dictæ Prouinciæ Mediolanen. ad significationem orationis pro animabus defunctorum recitauerint psalmum De profundis, vel ter orationem Dominicam,& salutationem angelicam, quocunque die id fecerint, indulgentiam centum dierum misericorditer in domino perpetuò concedimus, & elargimur. Contrariis non obstantibus quibuscunque. Dat. Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die 10. Aprilis 1580. Pontifi. nostri anno octauo.

Cæs. Glorierius.

LITTERÆ PROCESSVS S. D. N. D. Gregorii Papæ XIV. Lectæ die Cœnę Domini, Anno M. D. XCI.

GREGORIVS Episcopus seruus seruorum Dei, Ad futuram rei memoriam.

PASTORALIS Romani Pontificis vigilantia, & sollicitudo, cum in omni Christianæ Reipublicæ pace, & tranquillitate procuranda, pro sui muneris officio assiduè versatur, tum potissimum in Catholicę

fidei,

fidei, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, vnitate, atque integritate retinenda, & conſeruanda, maximè elucet: nimirum, vt fideles Chriſti non ſint paruuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, ad circumuentionem erroris, ſed omnes occurrant in vnitatem fidei, & agnitionis filii Dei in virum perfectū, neque ſe in huius vitę ſocietate, & communione lædant, aut inter ſe alter alteri offenſionem prębeat, ſed potius in vinculo charitatis coniuncti, tamquam vnius corporis mēbra ſub Chriſto capite, eiuſq; in terris Vicario Romano Pōtifice Beatiſſimi Petri ſucceſſore, à quo totius Eccleſię vnitas dimanat, augeantur in ędificationem, atque ita diuina gratia adiutrice, ſic pręſentis vitę quiete gaudeant, vt futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas ſanè cauſas Rom. Pontifices prędeceſſores noſtri hodierna die, quę anniuerſaria Dominicę Cœnę commemoratione ſolemnis eſt, ſpiritualem Eccleſiaſticę diſciplinę gladium, & ſalutaria iuſtitię arma per miniſteriū ſummi Apoſtolatus ad Dei gloriam, & animarum ſalutem ſolemniter exercere conſueuerunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius eſt, quàm fidei inuiolatam integritatem, publicam pacem & iuſtitiam Deo auctore tueri, vetuſtum, & ſolemnem hunc morem ſequentes.

1 Excommunicamus, & anathematizamus, ex parte Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Auctoritate quoque Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac noſtra, quoſcunque Huſſitas, Vuiclepitas, Lutheranos, Zuinglianos, Caluiniſtas, Vgonottos, Anabattiſtas, Trinitarios, ac omnes & ſingulos alios Hęreticos quocunque nomine cenſeantur, & cuiuſcunque ſectę exiſtant, ac eorum credentes: receptatores, fautores & generaliter quoslibet illorum defenſores, ac eorundem libros Hęreſim continentes, vel de religione tractantes ſine auctoritate noſtra & ſedis Apoſtolicę ſcienter legentes, aut retinentes, imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes ex quauis cauſa publicè vel occultè quouis ingenio vel colore, necnon Schiſmaticos, & eos qui ſe à noſtra, & Romani Pontificis pro tempore exiſtētis obediētia pertinaciter ſubtrahūt vel recedūt

2 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes & singulos cuiuscunque status, gradus, seu conditionis fuerint: Vniuersitates verò, Collegia & Capitula quocunque nomine nuncupentur; interdicimus ab ordinationibus, seu mandatis nostris, ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad vniuersale futurum Concilium appellantes: nec non eos, quorum auxilio, vel fauore appellatū fuerit.

3 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Cursarios, ac Latrunculos Maritimos, discurrentes Mare nostrum, pręcipue à Monte Argentario vsque ad Tetracinā: ac omnes eorū fautores receptatores & defensores.

4 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, qui Christianorum quorumcunque Nauibus tempestate, seu in transuersum (vt dici solet) iactatis, vel quoquomodo naufragium passis, siue in ipsis nauibus, siue ex eisdem eiecta in mari, vel in litore inuenta, cuiuscunque generis bona, tam in nostris Tyreni, & Adriatici, quàm in cęteris cuiusque maris Regionibus, & litoribus surripuerunt. Ita vt nec ob quodcunque priuilegium, consuetudinem aut longissimi etiam immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcunq; prętextum excusari possint.

5 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in terris suis noua pedagia seu gabellas, pręterquam in casibus sibi à iure, seu ex speciali sedis Apostolicę licentia pręmissis imponunt, vel augent, seu imponi, vel augeri prohibita exigunt.

6 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Breuis, ac Supplicationum gratiam, vel iustitiam concernentium per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vicecancellarium, seu gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Rom. Pontificis signatarum, necnon falsò fabricantes litteras Apostolicas, etiam in forma breuis, & etiam falsò signantes Supplicationes huiusmodi sub nomine Rom. Pontificis: seu Vicecancellarii aut gerentium vices prędictorum.

7 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis inimicos, vel Hęreticos, per nostras siue huius sanctę Se-

dis

dis sententias expressè & nominatim declaratos deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannũ, chalibem, omniaq; alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes, tam ex ipso canape, quàm alia quacumque materia, & ipsam materiam, aliaque huiusmodi, quibus Christianos, & Catholicos impugnant, necnon illos, qui per se vel alios de rebus statum Christianę Reipub. concernentibus in Christianorum perniciem, & damnum ipsos Turcas, & Christianę Religionis inimicos, necnon hęreticos in damnum Catholicę Religionis certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet pręstant. Non obstantibus quibuscunque priuilegiis quibusuis personis, Principibus, Rebuspublicis per nos, & sedem prędictam hactenus concessis de huiusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

8 Item excõmunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, seu inuadentes eos, qui victualia, seu alia ad vsum Romanę Curię necessaria adducunt, ac etiam eos, qui ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur prohibent, impediunt seu perturbant, seu hęc facientes defendunt per se, vel alios cuiuscunque fuerint ordinis, prææminentię, conditionis, & status, etiam si Pontificali, seu Regali, aut alia quauis Ecclesiastica vel mundana pręfulgeant dignitate.

9 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem, sua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent, nec non illos omnes, qui iurisdictionem ordinariam, vel delegatam à nobis vel nostris iudicibus non habentes, illam sibi temerè vendicantes, similia contra morantes in eadem Curia audent perpetrare.

10 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu depredantes Romipetas, seu peregrinos ad Vrbem causa deuotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, & in his dantes auxiliũ, consilium, vel fauorem.

11 Item excommunicamus & anathemazimamus omnes in terficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter in sequentes S. R. E. Cardinales, ac Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos à suis diœcesibus, territoriis, terris, seu dominiis, eiicientes. Necnon ea mandantes, vel rata habentes seu præstantes eis auxilium, consilium, vel fauorem.

12 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, vel per alios, personas Ecclesiasticas quascũque, vel sæculares ad Romanam Curiam super eorum causis, & negociis recurrentes, ac illa in eadem Curia prosequentes, aut procurantes negotiorumq. gestores, aduocatos, procuratores, & agentes, seu etiam Auditores, vel Iudices super dictis causis, vel negociis deputatos occasione causarum, vel negociorum huiusmodi occidunt, seu quoquomodo percutiunt, bonis spoliant, seu qui per se, vel per alios directè, vel indirectè delicta huiusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscunq; præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

13 Item excommunicamus. & anathematizamus omnes tã Ecclesiasticos quàm seculares cuiuscunque dignitatis, qui prætexentes friuolam quandam appellationem à grauamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum, etiam in forma Breuis, tam gratiam, quàm iustitiam concernentium: necnon citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum executorialium, & aliorum decretorum à nobis, & à sede prædicta Legatis, Nunciis, Præsidentibus, Cameræ Apostolicæ Auditoribus, Commissariis, aliisq; iudicibus, & delegatis Apostolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanauerint, aut alias ad Curias seculares, & laicam potestatem recurrunt, & ab ea instante etiam Fisci procuratore vel aduocato appellationes huiusmodi admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria & alia prædicta capi, & retineri faciunt, quiue illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine executioni demandari, aut ne tabelliones,

I

nes, & notarii super huiusmodi litterarum, & processuum executione, instrumenta, vel acta conficere aut confecta, parti cuius interest tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes seu eorum agentes, notarios, executores, & subexecutores litterarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex ciuitatibus, locis, & regnis eiiciunt, bonis spoliant perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per se, vel alium, seu alios, publicè, vel occultè, quiue aliàs quibuscunque personis, in genere, vel in specie, ne pro quibusuis eorum negotiis Prosequendis, seu gratiis, vel litteris impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas, vel litteras à dicta Sede impetrent seu impetrantis vtantur, directè, vel indirectè prohibere statuere, seu mandare, vel eas apud se, aut notarios, seu tabelliones, vel aliàs quomodolibet retinere præsumunt.

14 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes & singulos, qui per se, vel alios auctoritate propria, ac de facto quarumcunque exemptionum, vel aliarum gratiarum & litterarum Apostolicarum prætextu, beneficiales, & decimarum, ac alias causas, spirituales, & spiritualibus annexas ab Auditoribus, & Commissariis nostris, aliisque iudicibus Ecclesiasticis auocant, illarumue cursnm, & audientiam, ac personas, capitula, conuentus, collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione, tamquam iudices interponunt. Quique partes actrices, quæ illas comitti fecerunt, & faciunt ad reuocandum, & reuocari faciendum, citationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas, & ad faciendum, vel consentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris, & pœnis in illis contentis absolui, per statutum, vel aliàs compellunt, vel executionem litterarum Apostolicarum seu executorialium processuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel suum ad id fauorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prętensionum, seu etiam donec ipsi ad nos informandos, vt dicunt supplicauerint, aut supplicari

cari

cari fecerint, nisi supplicationes huiusmodi coram nobis, & sede Apostolica legitimè prosequantur, etiam si talia cōmittentes fuerint præsidentes Cancellariarum, Consiliorū, Parlamentorum, Cancellarii, Vicecancellarii, Consiliarii, ordinarii, vel extraordinarii quorumcunque Principum sæcularium, etiam si Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacunque præfulgeant dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendatarii, seu Vicarii fuerint.

15 Quiue ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcunque personas Ecclesiasticas, capitula, conuentus, collegia Ecclesiarum quarumcunque coram se ad suum tribunal audientiam Cancellariam, consilium, vel parlamentum: præter Iuris Canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè, quouis quæsito colore: nec non qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quæuis alia decreta in genere, vel in specie, ex quauis causa, & quouis quæsito colore, ac etiam prætextu cuiusuis consuetudinis, aut priuilegii, vel aliàs quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis, & ordinatis vsi fuerint, vnde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quouis modo restringitur, seu nostris, & dictæ Sedis ac quarumcunque Ecclesiarum iuribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expresſè præiudicatur.

16 Necnon qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosque superiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quoscunque Iudices Ecclesiasticos Ordinarios quomodolibet impediūt quo minus sua iurisdictione Ecclesiastica contra quoscunque vtantur secundum quòd canones, & sacræ constitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini, statuunt, ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcunque sententias, & decreta, aut aliàs fori Ecclesiast. iudicium eludentes ad Cancellarias, & alias Curias sæculares recurrunt, & ab illis prohibitiones & mandata, etiam pœnalia Ordinariis, aut delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque qui hæc decernunt,

nunt, & exequntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium, & fauorem in eisdem.

17 Quique iurisdictiones seu fructus, redditus, & prouentus ad nos, & sedem Apostolicam, & quascunque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes vsurpant, vel etiam quauis occasione, vel causa sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant.

18 Quiue collecta decimas, taleas, præstantias, & alia onera clericis prælatis, & aliis personis ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumq; fructibus, redditibus, & prouentibus huiusmodi absque simili Romani Pontificis speciali, & expressa licentia imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt aut sic imposita etiam à sponte dãtibus, & concedentibus recipiunt. Necnon qui per se, vel alios directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscunque sint præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status, etiam si Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alii potentatus quicunque etiam Regnis, Prouinciis, Ciuitatibus, & Terris quoquomodo præsidentes, & consiliarii, & senatores, aut quauis etiam Pontificali dignitate insigniti. Innouantes decreta super his per sacros Canones tam in Lateranẽsi nouissimè celebrato, quàm aliis Conciliis generalibus edita, etiam cum censuris, & pœnis in eis contentis.

19 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscunque Magistratus & iudices, Notarios, Scribas, Executores, & Subexecutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo sine speciali, specifica, & expressa huius Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia, etiam si talia committentes fuerunt Consiliarii, Senatores, Præsidentes, Cancellarii, Vicecancellarii, aut

quouis alio nomine nuncupati.

20 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos qui per se, seu alios directè vel indirectè sub quocunq; titulo, vel colore inuadere, destruere, occupare, detinere præsumpserint in totum, vel in partem Almam Vrbem, Regnum Siciliæ, Insulas Sardiniæ, & Corsicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium beati Petri in Thuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venaysinum, Sabinensem, Marchiæ Anconitanæ, Massæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & maritimas Prouincias, illarumq; terras, & loca; ac Terras specialis commissionis Arnulphorum, Ciuitatesque nostras Bononiam, Cæsenam Ariminum, Beneuentum, Perusium, Auinionem, Ciuitatem Castelli, Tudertum, & aliàs Ciuitates, Terras, & loca, vel iura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictæq; Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subiecta, necnon supremam iurisdictionem in illis nobis, & eidem Romanę Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subiecta, necnon supremam iurisdictionem in illis nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ cōpetentem de facto vsurpare, perturbare, retinere & vexare variis modis præsumunt, necnon adhærentes fautores, & defensores eorum seu illis auxilium, consilium, vel fauorē quomodolibet præstantes.

Volentes præsentes nostros processus, ac omnia, & quęcunque his nostris litteris contenta quousq; alii huiusmodi processus à nobis, aut Rom. Pontifice pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare suosque effectus omnino sortiri.

Cæterum à prædictis sentētiis nullus per alium quàm per Romanum Pontificem nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis & satisfaciendo cautione præstita absolui possit, etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum quibuscunque personis Ecclesiasticis sæcularibus, & quarumuis Ordinum etiam Mēdicantium, ac Militiarum regularibus, etiam Episcopali, vel alia maiori dignitate prædictis ipsisque Ordinibus, & eorum Monasteriis, Conuentibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus,

Hospi-

Hospitalibus, & locis piis, necnon laicis, etiam Imperiali Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus per nos,& dictam Sedem, ac cuiusuis Concilii decreta,verbo litteris, aut alia quacunque scriptura in genere, & in specie concessorum, & innouatorum, ac concedendorum, & innouandorum, nisi in eis etiam casus præsentibus litteris expressi comprehendantur.

Quòd si fortè aliqui contra tenorem præsentium talibus excōmunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficiū impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus grauius contra eos spiritualiter & temporaliter, prout expedire nouerimus, processuri.

Declarantes, ac protestantes quamcumque absolutionem etiam solemniter per nos faciendam prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi prius à præmissis cum vero proposito vlterius similia non committendi destiterint, Ac quoad eos, qui contra Ecclesiasticam libertatem, vt præmittitur, statuta fecerint, nisi prius statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, & decreta huiusmodi publicè reuocauerint, & ex Archiuiis seu capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, & cassari, ac nos de reuocatione huiusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per huiusmodi absolutionem, aut quoscunque alios actus contrarios tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam nostram vel successorum nostrorum quantocunque tempore continuatam in præmissis omnibus & singulis ac quibuscunque iuribus sedis Apostolicę, ac S. R. E. vndecunque & quandocunque quæsitis,vel quęrendis nullatenus præiudicari posse, aut debere.

Non obstantibus priuilegiis, indulgentiis, & litteris Apostolicis, generalibus, vel specialibus supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus aliis cuiuscunque ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiam si vt præmittitur Pontificali, Imperiali, Regali seu quauis Ecclesiastica, & mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis Prouinciis, Ciuitatibus, seu locis à prædicta Sede,

ex quauis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & sub quauis alia forma, & tenore ac cum quibusuis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis concessis etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionẽ: necnon consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus quantumcunque longissimis, & aliis quibuslibet obseruantiis, scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos nostros processus, ac sententias quominus includantur in eis se iuuare valeant, vel tueri.

Quæ omnia quo ad hoc eorum omnium tenores, ac si ad verbum, nihil penitus omisso insererentur præsentibus pro expressis habentes penitus tollimus, & omnino reuocamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Vt verò præsentes nostri processus ad publicam omnium notitiã facilius deducantur, chartas, seu mẽbranas Processus ipsos continentes valuis Ecclesiæ S. Io. Lateranẽ. & Basilicæ Principis Apostolorũ de Vrbe appendi faciemus. Vt ii, quos processus huiusmodi concernunt, quod ad ipsos nõ peruenerint, aut ꝙ ad ipsos ignorauerint, nullam possint excusationem prętendere aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur. Insuper; vt processus ipsi, & præsentes litteræ ac omnia & singula in eis contenta eò fiant notoria, quò in plerisque Ciuitatibus, & locis fuerint publicata, vniuersis, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis, & Prælatis vbilibet constitutis, per hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, vt per se, vel alium seu alios præsentes litteras, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries in Ecclesiis suis, dum in eis maior populi multitudo ad diuina conuenerit, solemniter publicent, & ad Christifidelium mentes reducant, nuncient & declarent.

Cæterum Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, aliiq; locorũ Ordinarii, & Ecclesiarum Prælati, necnon Rectores, cæteriq; curam animarum exercentes, ac presbyteri sæculares, & quorumuis ordinum regulares ad sumendas peccatorum confessiones, quauis auctoritate deputati, transumptum litterarum penes se habeant, easque diligenter legere, & percipere studeant. Volentes earundem præsentium transumptis, etiam impressis Notarii publici manu subscriptis, & sigillo iudicis Ordinarii Romanæ Curiæ, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem in iudicio, & extra illud vbiq; locorum adhibendam fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innouationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, reuocationis, commissionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ, apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimo primo, Tertio Id. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

L. Dat.

M. Vestrius Barbianus.

A. de Alexiis.

S. D. N. D. GREGORII PAPÆ XIV.

Constitutio moderatoria Bullæ felic. record. Sixti Papæ V. contra Abortum quouis modo procurantes.

GREGORIVS Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

SEDES Apostolica pia mater assiduè sentiens ponderis sibi incumbentis in procuranda salute animarum, pretioso

Christi Domini sanguine redemptarum, grauitatem, & magnitudinem, in re tanti momenti, vt par est, magis indies solicita, eundemq; optimum finem semper ante oculos propositum habens, nihil vnquam intẽtatum prætermittit eorum, quæ ad fidelium animas in viam salutis dirigendas iudicat pertinere. Quare nemini mirum videri debet, si interdum quidem contumacium fidelium audaciam pœnarũ seueritate deterret; Rursus eisdem, si ad cor redire velint, & peccati veniam humiliter exposcere, maternum aperit sinum, viamq; ad pœnitentiam eis sternit faciliorem, ac mãsuetudine congrua rigorem temperat, prout in Domino cõspicit salubriter expedire. Dudum siquidem fel. rec. Sixtus Papa V. prædecessor noster, iustitiæ zelo accensus, contra procurantes abortum fœtus, tam animati, quàm inanimis, eiusq; grauissimi sceleris participes, & adiutores, necnon contra eos, qui mulierum fœcunditatem impedirent, & sterilitatis potiones, seu venena præberent, constitutionem edidit, sub dat. 4. Kal. Nouembris, Pontificatus sui Anno tertio, per quam vltra diuersas spirituales, & temporales pœnas, etiam inter alia excommunicationis sententiã contra eos promulgauit, sibiq; & successoribus suis tantùm absoluendi facultatem reseruauit, prout in eadem constitutione plenius continetur. Cum igitur postmodum experientia docuerit, ex remedio huiusmodi non eam, quæ sperabatur, vtilitatem, & fructum prouenisse, verum potius multis Sathanæ malitia ad peccandum inductis, difficiliori ob soli Sedi Apostolicæ reseruatam absoluendi facultatẽ, reddito ad pœnitentiam aditu, eos à nefariis huiusmodi flagitiis perpetrandis, non solùm non retraxisse, sed etiam plurimorum sacrilegiorum, grauissimorumq; peccatorum, & scelerum occasionem dedisse. Nos igitur animaduertentes gladium Ecclesiasticæ disciplinæ, præsertim quoad censuras, & pœnas spirituales ita exercendum esse, vt ad medicinã tendat, non ad perniciẽ animarũ, verumq; Pastorem, cuius vices in Terris, gerimus quantum) diuina eius gratia adiutrice) possumus, imitari volentes, qui venit animas hominum saluare, non perdere, neminiq; quantumcunq; grauiter, & enormiter deliquerit, viam salutis præcludit,

quin

quin potius ad eam assequẽdam copiosè remedia adhibuit, ac nobis reliquit, & simul vtilius censentes, vbi nec de homicidio, nec de animato fœtu agitur pœnas non imponere duriores iis, quæ per sacros Canones, & leges prophanas sunt inflictæ. Habita super hoc cum Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus super negociis, & cõsultationibus Episcoporum, deputatis matura deliberatione, de eorum consilio, constitutionem prædictam sic duximus moderandam, vt à peccato, & excommunicatione contra personas ibi expressas lata, tam quoad eos, qui hactenus deliquerunt, quàm quo ad illos, qui post nostram constitutionem in eisdem casibus deliquerint, quilibet presbyter, tam sæcularis, quàm cuiusuis ordinis regularis ad Christifidelium confessiones audiendas per loci Ordinariũ approbatus, plenam, & liberam in foro conscientiæ tantùm absoluendi habeat facultatem eandem prorsus, quam idem Sixtus prædecessor sibi, ac suis successoribus reseruauit. Quo verò ad pœnas procurantium abortum fœtus inanimis, aut exhibentium mulieribus, vel sumentium venena sterilitatis, aut quocunque modo auxilium, vel consiliũ eis dantium, in prædicta constitutione contentas, constitutionem præfatam in ea parte, vbi de his agit, ad terminos iuris communis, ac sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini dispositionem, auctoritate Apostolica tenore præsentium, tam quoad præterita, quàm quoad futura, perpetuò reducimus, perinde ac si eadem constitutio in huiusmodi parte nunquam emanasset. Non obstantibus eadem prædecessoris nostri cõstitutione, quam quoad reliqua omnia, præter contenta in hac nostra constitutione in suo robore omnino permanere volumus, cæterisq; contrariis quibuscunque. Volumus autem, vt præsentium transumptis, Notarii publici manu subscriptis, & sigillo Prælati Ecclesiastici munitis eadem prorsus fides habeatur in iudicio, & extra illud, quæ eisdem originalibus haberetur exhibitis vel ostensis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginã nostrarum moderationis, reductionis, & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis

Dei,

Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo nonagesimo primo, Prid. Kal. Iunii, Pontificatus nostri Anno primo.

L. Dat.

M. Vestrius Barbianus.

A. de Alexiis.

CONSTITVTIO S. D. N. GREGORII Papæ XIV. Super immunitate ecclesiarum.

GREGORIVS Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

CVM aliàs nonnulli prædecessores nostri, & præsertim fel. record. Sixtus Papa Quintus, nec non Pius etiam Quintus, Sancto zelo ducti, diuersas facultates, & indulta, extrahendi, etiam in casibus quibusdam à iure non permissis ex Ecclesiis criminosos, & delinquentes compluribus sæcularibus Principibus, eorumq; Curiis, & Magistratibus, sub variis modis, & formis concesserint; prout in illis plenius continetur. Experientia postmodum docuit, tum ob diuersitatem, & differentiam huiusmodi indultorum, tum quia plerique eorundem Principum Ministri, ex hoc ipso illa diuersimode, etiam latius quàm par, erat, & ad suum libitum interpretandi occasionem arripuerunt, illisq; abuti cœperunt, subortam esse nõ mediocrem in aliquibus locis libertatis, & immunitatis Ecclesiasticæ perturbationem, & confusionem, alibi verò ne ipsos quidem laicos indultis huiusmodi vti voluisse, aut potuisse, quod Populis inueterata erga Ecclesias reuerentia deuotis, & assuetis, scandali potius quàm quietis occasionem præberent. Illud etiam absurdum sæpenumero secutum est, vt infimę interdum conditionis laici non modo iuris, sed etiam litterarum penitus ignari, & imperiti, dum quasi potestates aut ministri Curiæ sæcularis in aliquo Castro, aut

Oppidulo

Oppidulo iurisdictionem exercebant, facultatum, & indultorum huiusmodi limites longè excesserint, eaque suo arbitratu in sensus minus rectos, & ab intentione concedentis omnino alienos detorserint, & illorum prætextu, quicquid sibi in mentem venit attentare præsumpserint; in graue iurisdictionis, & immunitatis Ecclesiasticæ præiudicium locorum, & personarū diuino cultui dicatarum contemptū, ipsius diuinę Maiestatis offensam, & scandalum plurimorum. Quare pro commisso nobis à Domino Pastoralis officii munere prædictis absurdis, & scandalis obuiare, ac differentias huiusmodi ad vniformem regulam reducere, omnemq; dubitandi, ac perperam interpretandi ocasionem dilucida declaratione submouere, abusus tollere, & nę Ecclesiastica iura planè conculcentur, & negligantur, opportune prouidere decreuimus, prout etiam dictus Sixtus Prædecessor noster iisdem de causis motus statuere decreuerat licet morte pręuentus hoc adimplere nequiuerit: ita tamen vt quando præsens temporum calamitas, & nimia, quæ iam inualuit peruersorum hominum malitia id exposcit, aliquid, etiam ad terrorem delinquentium, & ad coercenda illorum facinora, vltra id, quòd prisca illa maiorum nostrorum disciplina, & vetus sacrorum Canonum norma præscripserat in quibusdam casibus, congrua moderatione adhibita, permittamus. Hac itaque nostra perpetuò valitura constitutione omnia, & quęcunque priuilegia, indulta, & gratias tam per prędictum Sixtum, ac Pium Quintum, quàm alios quoscunque nostros Prędecessores, aut nosmetipsos, Sedemque Apostolicam eiusuè Legatos, super abducendis, vel extrahendis ab Ecclesiis, Monasteriis, Sacellis, domibus regularibus, & sæcularibus, locisue sacris, aut Religiosis, aliàsq; in casibus à iure permissis hominibus certorum tunc expressorum, vel non expressorum criminū reis, aut fraudolentis decoctoribus, etiam in odium certorum delictorum, & pro bono, pace, & quiete publica, & ex causis vrgentissimis, ac necessariis, & æquipollentibus casibus in iure expressis, atque ex paritate, identitate, aut maioritate rationis extensis, perpetuò, vel ad certum nondum elapsum tempus, seu ad vitam alicuius Principis, aut bene-

placitum, seu aliàs quomodolibet concessa, etiam iteratis, aut multiplicatis vicibus, approbata, & innouata, ac vsu recepta, litterasq; Apostolicas sub plumbo, aut in forma Breuis seu aliàs quomodocunque desuper confectas, quarum tenores hic haberi volumus pro expressis, ac ad verbum insertis, sublata penitus omni differentia, ita ad vnam tantū formam reducimus, & moderamur, vt laicis ad Ecclesias, locaque sacra, & religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumq; grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quiue homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis earumue Cemeteriis committere non verentur, aut qui proditoriè proximum suum occiderint, aut Assassini vel hæresis, aut læsæ Maiestatis in personam ipsiusmet Principis rei, immunitas Ecclesiastica non suffragetur: Sed vniuersis & singulis Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, cęterisq. Ecclesiarum Monasteriorum Prælatis, tam sęcularibus, quàm cuiusuis ordinis regularibus districtè pręcipiendo mandamus, & pręcipimus, vel laicos in casibus prędictis delinquentes ad eorum Ecclesias, Monasteria, domos, & alia loca supradicta sacra, seu Religiosa respectiuè confugientes, & in eis se recipientes, atque morantes, qui prędicta delicta, eorumue aliquod, iudicio suo commisisse videbuntur, quando à Curia sęculari fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerit requisitus, Ministris, & Officialibus Curię sęcularis absque irregularitatis nota, aut alicuius censurę Ecclesiasticę incursu tradi, & consignari, curent, & faciant, & quilibet eorum curet, & faciat. Ne autem Curiæ sęcularis prędicta Ministri facultate illos per se & propria auctoritate extrahendi, & abducendi sibi olim, vt prędfertur, attributa, & per præsentes reuocata, abutantur, Volumus, dictaq; auctoritate decernimus, & declaramus, vt Curiæ sęcularis, eiusq; Iudices, & Officiales, ab Ecclesiis Monasteriis, locisq; sacris prędictis laicum aliquem vt pręfertur delinquentem in nullo ex casibus supradictis sine expressa licentia Episcopi, vel eius Officialis, & cum interuentu personę Ecclesiasticę ab

eo auctoritatem habentis, ad quos solos, & non alios Episcopis inferiores, etiam si alias ordinarii sint, aut nullius diœcesis, aut Conseruatores, ab hac sede specialiter, vel generaliter deputati, prædictam licentiã dandi facultas pertineat; occurrente autem casu in loco exempto, & nullius diœcesis, tunc ad Episcopum viciniorem deuoluatur hæc cognitio, & & non ad alios, capere extrahere, aut incarcerare nõ possint, nisi eo casu, quo ipse Episcopus, & dictæ personæ Ecclesiasticæ requisitæ illos in delictis superius expressis culpabiles tradere, aut capturæ, & carcerationi interuenire, & assistere recusauerint; tuncq; reuerentiæ Ecclesiæ, & locis sacris debitæ memores prædictos delinquentes minori, quo id fieri poterit cum scandalo, & tumultu extrahere curent. Quodque delinquentes laici prædicti, postquam vt præfertur, ab Ecclesiis, locisue sacris extracti, & capti fuerint, ad carceres Curiæ Ecclesiasticæ reponi, & inibi sub tuto, & firmo carcere, ac opportuna custodia data illis, si opus fuerit, per Curiam sæcularem, detineri debeant, nec inde extrahi, Curiæq; sæculari prædictæ consignari nec tradi possint, nisi cognito prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi vere crimina superius expressa commiserint; tuncq; demũ; de mandato Episcopi per Iudicem Ecclesiasticum Curiæ sæculari, quacunq; appellatione postposita, consignentur. De crimine verò hæresis cognitio ad forum Ecclesiasticum tota pertineat; neque in ea Curia sæcularis se quoquomodo intromittat: Sicuti etiam prohibemus, ne contra Ecclesiasticas personas sæculares, ac cuiusuis ordinis, vel militiæ etiam Sancti Ioãnis Hierosolymitani regulares quoquomodo etiam vigore prædictorum priuilegiorum indultorum, aut concessionum quæ omnia ad terminos iuris per præsentes reducimus, procedant, aut se intromittant; illasue ab Ecclesiis, Monasteriis, domibus, locisque sacris, aut religiosis, etiam in casibus in hac constitutione expressis extrahere, abducere, capere, carcerare, aut cognoscere de criminibus ad forum Ecclesiasticum pertinentibus aliàs, quàm de iure, & per priuilegia eisdem ordinibus, aut militiis cõcessa permittitur quomodolibet præsumant. Quod si quis quacunque dignitate, & auctoritate præditus, præmisso-

 rum,

rum, aut alio quouis prætextu, quicquam pręter, aut contra huius nostræ constitutionis tenorē attentare pręsumpserit, declaramus eum ipso facto, censuras, & penas easdem incurrere, quę contra liberratis, iuris, & immunitatis Ecclesiasticę violatores per sacros Canones, & Conciliorum generalium, nostrorumq; prędecessorū constitutiones sunt promulgatę. Sicq; per quoscunque Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, in quauis causa, & instantia iudicari, & diffiniri debere, necnon irritum decernimus, & inane, si secus super his, per quoscunque quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus pręmissis, tam Sixti, & Pii V. quàm aliorum quorumcunque prędecessorum nostrorum, litteris Apostolicis, priuilegiis, indultis, & facultatibus, quibusuis personis, etiam Imperiali, Regia, Ducali, aut alia quauis dignitate, & auctoritate fulgentibus, aut Respublicis, Dominiis, Regnis, Prouinciis, Ciuitatibus Terris, & locis, eorumue Curiis, Parlamentis, Senatibus, Consiliis, Communitatibus, Vniuersitatibus, Collegiis, aut Pręsidentibus, Proregibus, Gubernatoribus, Locatenētibus, Vicariis, Potestatibus, aliisq; Magistratibus, Officialibus, Ministris, aut Consiliariis, ex prędictis, vel aliis, etiam grauioribus, & vrgentioribus causis, tàm illorum intuitu, & contemplatione, siue ad eorum preces, & instantiam, quàm etiam Motu proprio, & ex certa scientia, deq; Apostolicę potestatis plenitudine, ac per modum statuti, & legis perpetuę, etiam in vim contractus, & fratrum nostrorum consilio, sub quibuscunque tenoribus, & formis, & cum quibusuis pręseruatiuis, restitutiuis, mentis, attestatiuis, derogatoriarum, derogatoriis, aliisq; validissimis, efficacissimis, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis decretis, etiam si inibi caueatur expresse, quòd illis, nisi sub certis modis, & formis, & nisi de expresso eorum consensu, ad quorum fauorem concessę fuerint, derogari possit, & aliter factæ derogationes nullius sint roboris, vel momenti; & aliàs quomodolibet concessis etiam sæpius approbatis, & innouatis:

Quę

Quæ omnia, & singula, ac illorum tenores pro expressis habentes, quatenus præmissis in aliquo aduersentur, aut plures quàm superius expressos casus contineant, auctoritate, & tenore præmissis omnino, ac perpetuò tollimus, & abrogamus, ac ad terminos præsentis Constitutionis quoad superius descripta dumtaxat, reducimus: Et nolumus cuiquã de cætero suffragari, & qualibet alia dictæ sedis indulgentia generali, vel speciali, per quæ præsentibus non expressa, vel ad verbum non inserta, effectus earum quomodolibet valeat impediri. Vt autem præsentes litteræ ad omniũ notitiam facilius deducantur, mandamus illas in valuis Sãcti Ioannis Lateranen. & Principis Apostolorũ, Basilicarum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ de more affigi, & publicari, earum etiam exemplis inibi affixis, & dimissis, ac post publicationẽ huiusmodi, volumus, & decernimus, vt omnes & singulos, quos concernunt, & concernent in futurum, perinde arctent, & afficiant, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent; earundem verò præsentium transumptis, etiam impressis Notarii publici manu subscriptis eandem fidem in iudicio, & extra illud vbique gentium, & locorum haberi volumus, quæ eisdem originalibus litteris haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ moderationis, pręcepti, mandatorum, decretorum, reductionum, declarationum, prohibitionis, sublationis, abrogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicę, millesimo quingentesimo nonagesimo primo, Nono Kal. Iunii, Pontificatus nostri anno primo.

L. Dat.

M. Vestrius Barbianus.

A. de Alexiis.

CON-

Concessio indulgentię vniuersis fidelibus Prouincię Mediolanen. conuenientibus ad orationem xl. horarum.

Gregorius Papa XIII.

VNIVERSIS, & singulis Christifidelibus Prouincię Mediolanen. pręsentes litteras inspecturis salutem, & apostolicam benedictionem. Quam vberes ex orationis instituto ad populum Christianũ semper prouenerint fructus, animo reuoluentes, ea libenter concedimus quibus fideles ad orationem maximè excitentur. Itaque de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, & singulis vtriusque sexus Christifidelibus in dicta Prouincia Mediolanen. constitutis, qui orationi quadraginta horarum ordinariæ vel extraordinariæ iussu Episcopi expositę per horę spatium vacauerint, tres annos, qui vero processioni interfuerint initio, vel in fine orationis celebratę huiusmodi, in cathedralibus decem, in aliis vero Ecclesiis quinque annos indulgẽtiæ in forma Ecclesię consueta concedimus, ac vero semel in anno die ab Episcopo pręscribendo si sacram etiam Eucharistiam verè pœnitentes, & confessi sumpserint, plenariam omnium peccatorum, suorum indulgentiam, & remissionem, tenore pręsentium elargimur. Pręsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romę apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris. Die 5. Aprilis 1580. Pontificatus nostri anno octauo.

Cæs. Glorierius.

Concessio indulgentię conuenientibus ad concionem, & Missam maiorem, & ad orationem, & processionem sub vexillo.

Gregorius Papa XIII. Ad perpetuam rei memoriam.

CVM nihil Pastorali nostræ sollicitudini æque cordi sit, quam salus animarum, idcirco, quibus possumus, rationibus Christi fideles ad exercitationes spirituales,

rituales, piaq; officia incitamus, vt hac via incedentes per obseruationem mandatorum Domini, diuinam misericordiam, & gratiam consequi mereantur. Itaque de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vtriusque sexus Christifidelibus in prouincia Mediolanen. pro tempore existen. qui sacrum sermonem, concionemue audierint, quoties id egerint, toties quinquaginta dierum; qui vero die festo Missæ maiori interfuerint, trium annorum, & totidē quadragenarum; qui Vesperis vnius anni; qui completorio quinquaginta dierum indulgentiam in forma Ecclesię consueta concedimus. Pręterea iis, qui collegiatim sub vexillo suę Ecclesiæ conuenerint ad visitationem alicuius Ecclesiæ, aut sacræ Reliquię toties centum dierum, si ad processionem generalem quinquaginta dierum; si ad processionē particularem vigintiquinque dierum: si ad stationem orationis publicę celebrandę centum dierum: Iis vero qui consueuerint, vt plurimum hęc officia, & exercitationes spirituales cum parochiali vicinia collegiatim obire, semel in anno, & sanctissima cōmunione sumpta in die festo proprio, & præcipuo suæ parochię plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem concedimus, & elargimur. Contrariis non obstantibus quibuscunque. Pręsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Dat. Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die 5. Aprilis 1580. Pontificatus nostri anno octauo.

Cæs. Glorierius.

Decretum sacri Conc. Triden. sess. 22.

De reform. cap. 11. de vsur. bon. & iur. ecclesiastica.

SI quem clericorum, vel laicorum, quacunque is dignitate, etiam Imperiali, aut Regali præfulgeat, in tantū malorum omnium radix, cupiditas occupauerit, vt alicuius ecclesię, seu cuiusuis sęcularis, vel regularis beneficii, Montium pietatis, aliorumq; piorum locorum iurisdictiones,

dictiones, bona, census, ac iura, etiam feudalia, & emphyteotica, fructus, emolumenta, seu quascunque obuentiones, quę in ministrorum, & pauperum necessitates conuerti debent per se, vel per alios vi, vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas Clericorum, aut laicorum, seu quacunque arte, aut quocunque quęsito colore in proprios vsus conuertere, illosq; vsurpare præsumpserit, seu impedire, nè ab iis, ad ques iure pertinent, percipiantur, is anathemati tandiu subiaceat, quandiu iurisdictiones, bona, res, iura, fructus, & redditus, quos occupauerit, vel qui ad eum quomodocunque, etiam ex donatione suppositę personę, peruenerint, ecclesię, eiusq; administratori, siue beneficiato integrè restituerit, ac deinde à Romano Pontifice absolutionem obtinuerit. Quod si eiusdem ecclesię patronus fuerit, etiam iure patronatus, vltra prędictas pœnas, eò ipso priuatus existat. Clericus verò, qui nefandę fraudis, & vsurpationis huiusmodi fabricator, seu cōsentiens fuerit, eisdem pœnis subiaceat, necnon quibuscūq; beneficiis priuatus sit, & ad quęcunque alia beneficia inhabilis efficiatur, & à suorum Ordinum executione, etiā post integram satisfactionem, & absolutionem, sui Ordinarii arbitrio suspendatur.

Decretum Conc. Triden. sess. 24.

De reform. matrim. cap. 1. Contra eos, qui clandestina matrimonia contrahunt.

TAMETSI dubitandum non est, clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata, & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita nō fecit: & proinde iure damnandi sint illi, vt eos sancta synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata esse negant; quique falsò affirmant, matrimonia, à filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse: nihilominus sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit: verùm, cum sancta synodus animaduertat, prohibitiones

hibitiones illas propter hominum inobedientiam iam non prodesse, & grauia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis coniugiis ortum habent; pręsertim verò eorum qui in statu damnationis permanent, dum, priore vxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahũt, & cum ea in perpetuo adulterio viuunt. Cui malo cum ab Ecclesia, quæ de occultis non iudicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur.

Iccirco sacri Lateranensis Concilii, sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhærendo, præcipit, vt in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festiuis in ecclesia inter Missarum solemnia publicè denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum: quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur, vbi Parochus, viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat, Ego vos in matrimonium cõiungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: vel aliis vtatur verbis iuxta receptum vniuscuiusque prouinciæ ritũ. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimoniũ malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denũciationes, tunc vel vna tantùm denunciatio fiat, vel saltem Parocho, & duobus, vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denunciationes in ecclesia fiant, vt, si aliqua subsunt impedimenta, faciliùs detegantur, nisi Ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædictæ denunciationes remittantur, quod illius prudentiæ, & iudicio sancta synodus relinquit.

Qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio sacerdote, de ipsius parochi, seu Ordinarii licentia & duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & huiusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat.

Insuper Parochum, vel alium sacerdotem, qui cum minore testium numero, & testes, qui sine Parocho, vel sacerdote huiusmodi contractui interfuerint, necnon ipsos contrahẽ-

tes grauiter arbitrio Ordinarii puniri præcipit.

Præterea eadem sancta synodus, hortatur, vt coniuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent; statuitq; benedictionem à proprio Parocho fieri, neque à quoquam, nisi ab ipso Parocho; vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alii sacerdoti concedi posse, quacunque cõsuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda est; vel priuilegio, non obstante. Quod si quis Parochus, vel alius sacerdos siue regularis, siue sæcularis sit, etiam si id sibi ex priuilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius Parochiæ sponsos sine illorũ parochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tandiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absoluatur.

Habeat Parochus librum, in quo coniugum & testium nomina, diemq; & locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat.

Postremò sancta synodus coniuges hortatur, vt antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctissimũ Eucharistiæ sacramentum piè accedant: Si quæ prouinciæ aliis, vltra prædictas, laudabilibus consuetudinibus, & cæremoniis hac in re vtuntur eas omnino retineri sancta synodus vehementer optat.

Ne verò hæc tam salubria præcepta quemquam lateant; Ordinariis omnibus præcipit, vt cum primum poterunt, curent hoc decretum populo publicari, ac explicari in singulis suarum diœcesum parochialibus ecclesiis idq; in primo anno quàm sæpissimè fiat, deinde verò quoties expedire viderint. Decernit insuper, vt huiusmodi decretum in vnaquàque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat à die primæ publicationis, in eadem parochia factæ, numerandos.

Decretum

Decretum Conc. Triden. sess. 25.
De reform. cap. 12.

De iis, qui decimas non soluunt.

NON sunt ferendi, qui variis artibus decimas ecclesiis obuenientes, subtrahere moliuntur, aut qui ab aliis soluendas temere occupant, & in rem suã vertunt, cum decimarum solutio debita sit Deo, & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas inuadunt. Præcipit igitur sancta Synodus omnibus, cuiuscunque gradus, & conditionis sint, ad quos decimarum solutio spectat, vt eas, ad quas de iure tenentur, in posterum Cathedrali, aut quibuscunque aliis ecclesiis, vel personis, quibus legitime debentur, integræ persoluant. Qui verò eas aut subtrahunt aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absoluãtur. Hortatur dehinc omnes, & singulos, pro Christiana charitate, debitoq; erga Pastores suo munere, vt de bonis sibi à Deo collatis, Episcopis, & Parochis, qui tenuioribus præsunt ecclesiis, largè subuenire ad Dei laudem, atque ad Pastorum suorum, qui pro eis inuigilant, dignitatem tuendam, non grauentur.

Litteræ Conc. Sexti Prouinc. de conueniendo ad audiendam Missam in ecclesia parochiali diebus festis.

FVIT olim tanti apud antiquos Patres ille frequens in Ecclesiam propriam parochialem fidelium conuentus, vt ad hanc disciplinam Populi Christiani institutioni valdè accommodatam retinendam, certis Decretis cautio aliqua adhibita sit. Primo enim hoc iussum est, vt Dominicis, festisque diebus Parochi antequàm Missam celebrent, Plebem interrogent, an alterius parochiæ fidelis adsit, qui proprio contempto Presbytero, ibi Missam audire velit, quem si inuenerint statim inde eiiciant, & in Parochialem suam Ecclesiam ad Missam audiendam, redire compellant. Deinde illud planè vetitum fuit, alienæ Parochiæ

+ Videnda dicta Natalis Alexandri in Theologia dogmat: et morali Lib. II. de sacra Euchar: Cap. 6. de sacrificio missae, Art. V. Regula X.

Thomas Zerola in Praxi Episcopali V. Missa ad nu: verum dicit, quod de consilio quisque tenetur audire missam festis diebus in Parochia sua ex Concilio Triden: sess: 22. c. quae ta cura s. moveat: et Navar: dicit cap. 22. nu: 5. et 6. et declarat. Vat. Cong: dicit non posse eum cogere populum multis et poenis etiam in casu notabili negligentiae. At

rochiæ fidelem à Parocho ad Missam non recipi, nisi in itinere fuerit, & placitum ibi habuerit. Cuius veteris disciplinæ restituendæ, in vsumq; reuocandæ desiderio fragrãs, olim summus Pontifex Vrbanus VI. eò de genere Apostolica sanctione diligentissimè cauit; & nuper sacra Tridentina Synodus œcumenica ab Episcopis fideles nõ solum hoc moneri voluit, vt frequenter ad proprias parochiales Ecclesias saltem Dominicis diebus, festisq; maioribus accedant; sed illud etiam diligenter ostendit, vnumquemque teneri, vbi commodè fieri potest, Parochiæ suæ interesse ad audiẽdum verbum Dei; ac proinde id præterea statuit, à Parochis, animarumuè Curatoribus inter Missarum solemnia aliquid ex iis, quæ in Missa leguntur, exponi, & Sanctissimi illius sacrificii mysterium aliquod explanari; plebes sibi commissas salutaribus verbis pasci, easdemq; doceri, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem; in lege Domini erudiri, & sacra eloquia illius explanari; tùm in vnaquaq; Ecclesia parochiali pueros fidei rudimentis instrui. His igitur eiusdem Tridentinæ Synodi decretis, & veteri salutari exemplo adducti cum Populum vrbis, Diœcesis, Prouinciæq; Mediolanen. nostræ, rebus ad salutem necessariis instructum, per bona opera ad præmium sempiternum perducere summopere in Domino cupiamus: hac nostra monitione eos vniuersos, & singulos cohortamur, ac per viscera misericordiæ Iesu Christi obsecramus, atque obtestamur; vt quamuis in suis viciniis, oppidis, & suburbiis, oratoria, Capellas, aliasuè Ecclesias habeant, vbi sanctiss. Missæ sacrificio interesse possint, frequenter tamen Dominicis saltem, aliisq; solemnibus festis diebus ad suam quiq; Parochialem Ecclesiam conueniant: vbi à Parocho, cui eorum cura commissa est, verbo Dei pascantur, fidei Christianæ rudimentis, aliisq; animarum saluti necessariis præceptis erudiantur, ad sanctissima Sacramenta religiosius percipiẽda instruantur, ad eorundemq; frequentem vsum, vt illa sacra Synodus optat, paternis eius cohortationibus, in dies magis inflammentur; tùm ab eodem item audiant, qui dies festi, si qui in hebdomadam inciderint, colendi, quæ vigiliæ, ieiuniauè seruanda sint, discant ab ipso, item quæ

At natali Alexandri [illegible] Christi anno 1665 fuisse declaratam a Sac. Facult. Parisiensi hanc propositionem ut falsam et decreto Concilii Tridentini con-

contraria, [redacted] quae hic versus expressa erat: Populus christianus ut Tridentini concilii exigit ... per centuram et poenam Ecclesiasticam in dominicis diebus missam Parochialem audiat.

Christianæ pietatis officia, in illis religiosè colendis præstari oporteat; ac quæ præterea supplicationes, processionesuè, aut stationes, orationes, Indulgentię, Iubilea indicantur; quæ matrimoniorum denunciationes fiant; quæ quæ item pro ratione temporum admonitu, iussuuè Episcopali ad diligentiorem eorum institutionem promulgentur. His, atque adeò aliis fructibus, qui ex paternis Parochi, vel in cohortando, vel in monendo officiis existunt, eos carere continget, qui ad Missam iis diebus in suam parochialem Ecclesiam non conueniunt. Immò verò quòd hoc audiendæ illis diebus Missę Parochialis munus à fidelibus minus diligenter præstatur, & à quibusdam planè negligitur, multa incommoda inde existunt. Hinc in plerisq; sæpè fidei articulorum; & Dei, sanctæq; Matris Ecclesiæ præceptorum, quæ ad salutem consequendam Christianum hominem nosse oportet imperitia; festorum dierum cultus neglectus; debita Christianæ pietatis opera non exculta; non cognita Christiana familiarum institutio, languescens Sacerdotum Parochorum omne officium; eorum aliquis contemptus, sanctissimorum institutorum, & sacrorum Canonum violatus vsus: hinc denique in Ecclesiis Parochialibus, quæ à maioribus tanto pietatis studio exedificatæ sunt instaurandis, ornandis, sartis; tectisq; habendis cura, multis ex partibus neglecta; in illisq; nulla, aut penè exigua Ecclesiastica ad diuina officia obeunda necessaria supellex. His tot, tantisq; malis, atque incommodis vnusquisque occurrere studeat id diligenter exequendo, quod sanctorum Patrum suadet auctoritas, quod Tridentina synodus moneri iubet, quod ex illius iussu nos de vniuscuiusque vestrum salute solliciti paternis vocibus cohortamur, & monemus in Domino. Nec verò quemquã aliquod, vel ex Parochialis Ecclesiæ aliqua distantia, vel ex pluuia, frigore, æstu, temporumuè vicissitudine existit incommodum ab hoc officio deterreat: Immò verò ad illud diligentius exequendũ, pro ut in Domino confidimus, se quisque eorum accendat necesse est; qui salutis suæ memores huius rei grauitatem, eorum, quæ commemorata sunt, ratione perpendent, quique aliquando secum animo reputabunt, non solum parochialem

chialem Ecclesiam sibi datam esse, in qua primum baptismo suscepto Christo Domino renati, aliis sacramentis aluntur ad perpetuam salutem; sed Parochum etiam sacerdotem sibi loco parentis esse debere, quem diligant, colant, atque obseruent; hoc sibi proponentes illum pro fidelibus sibi commissis apud Deum internuncium, ac deprecatorem esse, diuinæ legis interpretem, dispensatorem mysteriorũ Dei, Christianæ vitæ, & morum disciplinæ magistrum, à quo omne petant piè, recteq; agendi consilium, ac deniq; ministrum omnium fere, quæ ad salutẽ eis necessaria sunt. Huic autem nostræ monitioni, & si omnes pro præcipua suæ salutis cura audientes esse debent, in primis tamen patresfamilias, tutores, ludimagistros, cæterosq; aliorum moderationi curationiuè præfectos cohortamur, diuinaq; contestatione admonemus, vt de sua, & aliorum, quorum curam gerunt salute solliciti, primum ipsi hæc paterna monita amplectãtur, tùm illos etiam crebris cohortationibus, ad illa exequenda inflamment; idque curent, vt non solum Missæ, & diuinorum officiorum tempore, illi in parochialẽ Ecclesiam conueniant; verum etiam, vt institutas, in ea doctrinæ christianæ scholas, statis illis diebus frequentent.

Cum Ecclesiæ alicuius parochialis eiusque Rectoris necessitati Episcopus primitiarum, decimarumq; assignatione, aut Parochialium symbolis, collectisuè prouidendum esse ex Decreto Tridentino censuerit; ad id præstandum illos ex eiusdem Tridentini, & Prouincialis decreti præscripto cõpellat, propositis arbitratu suo pœnis, & censuris, atque etiam interdicto generali, præsertim vbi ipsi Parochiales id præstare promiserint, spoponderintuè.

Quo instructiores in suis officiis Parochi sint, ob eamq; rem diligentiores: cura Metropolitani sit, vt quemadmodum canone Toletano, inscribitur, officiorum parochialium liber cõficiatur, atque emittatur ad communem Parochorum prouincialium vsum.

Decretum

Decretum XVIII. Conc. Prouinc. 2. tit. 1. de manifestis Vsurariis.

NE Parochi vsurarium manifestum vt Greg. X. Constitutione sancitum est etiam si in testamẽto, aliauè quadam vltima voluntate ipse mandarit ea restitui, quæcunque vsuræ nomine acceperit, in sepulturam ecclesiasticam tradant, nisi pro eorum facultatibus re ipsa illis satisfactum sit, à quibus vsuras exegerit, aut si ii absunt Episcopo Vicarioue eius, vel Parocho intra cuius Parochiæ fines ille dum vixerat habitarat, vel Notario publico de restitutione cautum sit pignoribus, aut idonea sponsione facta. Qui vero Parochus id generis hominem sciens sepelierit, is nouerit se excommunicationis pœna affectum esse, ex Clementis V. constitutione in Concilio Viennensi edita.

Decreto vndecimo del Conc. Prouinc. secondo, nel tit. terzo sopra i miglioramenti de' beni ecclesiastici fatto volgare.

QVELLI che dopò questo decreto piglieranno ad affitto beni di Chiesa à certo tempo, con patto di poter far migliorame͂ti, & che sia lor restituito poi quanto hauranno speso in fargli, non possano in qualunque sorte di beni, spendere per sola vtilità d'essi beni più di quello, che ritenendo ogn'anno la terza parte, di quanto debbono pagare di fitto ogn'anno, siano in capo della sua locatione integramente sodisfatti, & rimborsati; si come facendo spese, & miglioramenti necessarii in detti beni doueranno ritenere parimente la istessa terza parte, se però il conduttore, & locatore non fossero conuenuti, che si rimborsasse in più breue tempo.

Et venendosi al fine della locatione, & non essendosi il conduttore pienamente rimborsato di quanto hà speso con la terza parte ch'haurà ritenuta ogn'anno, essẽdo per altra uia sodisfatto dal Rettore del beneficio, del quale siano i beni, che hauerà condotti, possa il conduttore in questo caso, ritener detti beni sin tanto, che ritenẽndo ogn'anno la sudetta terza parte, sarà intierame͂te sodisfatto, di quãto ha speso.

Quelli

Quelli, che hauendo condotti con tali patti, hauranno fatti miglioramenti, ò vtili, ò necessarii, & non si riteranno la sudetta terza parte ogn'anno, non possano dopoi ridimandare al nouo Rettore, quanto hauranno mancato di ritenersi, ma il tutto s'imputi à lor colpa.

Et non volendo essi conduttori far ritentione di questa terza parte ogn'anno, mà volendo, che in vna sol volta sia lor restituito tutto quello, che per tal causa hauranno speso, debbano essi conduttori ogn'anno depositare detta terza parte presso qualche idonea persona, & non la paghino al Rettore; altrimente la paghino à suo danno, ne sia fatta lor buona dal successore nel beneficio, nel conto che se haurà à far seco sopra i miglioramenti.

Quelli che inanzi à questo decreto hanno condotto beni ecclesiastici, & che per il patto sudetto hanno fatto, ò per l'auenire faranno miglioramenti in essi beni, si rimborsino nel medesimo modo, come gli altri sopradetti, & non rimborsandosi, vada à danno loro.

Decretum Conc. Prouin. incipiens, Pœnam ticl de piorum locorum administratione.

POENAM excommunicationis eo ipso subeundam proponimus notariis, scribisq; omnibus, qui testamenta, codicillos, aliasue tabulas de legatis ad pias causas, de rebus, quæ pro male partis, vel furto ablatis, relictæ sunt, quas ipsi rogati conscripserint, aut ab aliis scriptas apud se habeant, nisi ad tres menses Episcopo id significauerint: iis vero, qui posthac eius generis negotia scripserint, nisi intra mensem, cuius initium fiat à morte testatoris, eidem Episcopo rem notam fecerint; eamq; particulam de legatis, vel relictis rebus descriptam, & auctoritate publica munitam, debita mercede accepta, illi tradiderint. Quæ omnia sic agantur, nisi iustum intercesserit impedimentum; quo sublato, ea, quæ supra scripta sunt, notarii exequantur.

Decretum autem hoc nostrum bis quotannis ab omnibus parochis populo, sibi commisso, recitari volumus.

Decre-

Decretum xvii. Conc. Prouinc. 2. tit. 3. de Notariis pia legata non denunciantibus.

QVICVNQVE Notarii sciant, se rogatos, testamenta, aliasue vltimæ voluntatis tabulas de rebus, piarum causarum nomine relictis, confecisse, nisi sex mensium spatio postquam testatoris mortẽ sciẽrint, illa Episcopo significarint, quæcunque in ipsis tabulis à se conscriptis legata pia facta sint, ii excommunicationis pœnam ipso iure incurrant. Qui vero in posterum eius generis tabulas testamentauè scripserint, eandem pœnam ipso facto subeant, nisi tribus post mensibus, quam testatoris mortem cognouerint, pia legata, relictauè Episcopo denunciarint. Hoc aũt de sex, & trium mensium spatio decretum vim tantum habere statuimus, cum primum Cõcilium hoc in lucem emissum erit, ac promulgatum.

Vt autem Notariorum, qui iam mortem obierunt, exemplaria, & quæuis alia scripta, quibus res, piarum causarum nomine relictæ, aut legatæ, notatæ, ac descriptæ sunt, conquiri possint; Episcopus propositis etiam pœnis, & cẽsuris, eam, quæ sibi facilior videbitur, ineat rei perficiendæ rationem.

Qui Notarii præterea ex superioris Concilii decreto excommunicationem subierunt, Episcopus eos absolutionem humiliter petentes à censuris absoluat, si modo ipsius Episcopi arbitratu ante satisfecerint, ad decreti huius præscriptum.

Decretum Conc. Prouin. 3. tit. de iis, quæ pertin. ad Sacram. Pœnit.

QVI ad confessarium, etiam regularem, in aliena diœcesi commorantem, dedita opera se conferens, peccata sua fit confessus, nisi confessarius ille, & ab Episcopo loci, & à confitentis ordinario ad confessiones audiendas probatus erit, ei, tamquam inconfesso, Parochus Eucharistiæ sacramentum ne præbeat: illius præterea Ordinarius cuius cõfessionem ille sacerdos confessarius non probatus audierit, ne eum patiatur in sua diœcesi confessiones per biennium audire, neq; itidem concionari.

Decretum Conc. Prouinc. 3. tit. de iis, quæ ad bona Eccleſ. tuen. pertin.

QVOD prouinciali ſecundo Concilio pœna excommunicationis propoſita contra eos ſanciuimus, qui eccleſiaſtici hominis mortui bona, vel temerè inuadunt, vel ſurripiunt, eo decreto illos item aſtringi volumus, qui vel nulla inuaſione, aut vi facta ex illius mortui clericalis hominis ædibus ſupellectilem, remuè vllam, ſeu ſcripta ad eccleſiam, cui ille Rector præerat, pertinentia, ante aſportant, aut euehunt, quam ab illo, cui id curæ ab Epiſcopo commiſſum eſt, in indicem relata ſint illius mortui bona mobilia, libri, & ſcripta, cæteraq; eius generis, quæ in hęreditatem caderent.

Decreto del Concilio Prouinciale ſecondo, nel titolo delle coſe ſpettanti al ſacramento del matrimonio fatto volgare.

SI come ogni Padre di fameglia, che ammaeſtra i ſuoi figliuoli, & famigliari nel colto di Dio, & nella diſciplina della pietà, & virtù chriſtiane, riceuerà di ciò copioſiſſimo premio: coſi chi ſprezzerà, ò laſcierà queſto vfficio douuto alla cura paterna, deue aſpettare, che nel giorno del Signore gli ſi faccia vn rigoroſiſſimo giudicio.

Principalmente adunque ſollecito intorno alla ſalute della ſua famiglia, ſe le moſtri maeſtro, & guida al viuere pia, & ſantamente, non tanto con l'eſſempio delle buone operationi, quanto con le frequenti eſſortationi.

Coſi procuri, che neſſuno ſi troui di ſua famiglia ò ſiano figli, & figlie, ò ſerui, & ſerue, ò d'altri che ſtiano al ſuo ſeruitio, che non ſia ammaeſtrato ne i principij della fede chriſtiana.

Per il che ordini, che tutti quelli, che comprenderà della ſua fameglia eſſere nelle dette coſe mal inſtrutti, vadano alle ſcuole della dottrina chriſtiana; &, ſe haurà tal famiglia numeroſa, ſtudii, che in caſa ſia inſtrutta conforme alle annotate interrogationi del libricciuolo compoſto, & ſtampato à tal effetto per vſo della Prouincia di Milano.

Che detta famiglia tutta radunata in vn luogo deputato, ad

vn'hora prefissa, & dato il segno dell'oratione commune col suono della cāpana preghi Dio, & faccia santamēte oratione.

Che si confessi, & communichi spesse volte.

Che ogni giorno vada ad vdir Messa, ò almeno ciò faccia le Vigilie ne i tempi determinati per i digiuni, & ne i giorni di Quaresima. Mà ne i dì di festa non permetta in alcuna maniera, che alcuno della sua fameglia non assista al sacrificio della Messa.

Che in oltre ne i giorni di festa vada alle prediche, à i sermoni, alle processioni, à i diuini vfficii, & altri essercitii di pietà christiana.

Che nessuno in questi sacri giorni si esserciti in opere seruili.

Che quei della sua fameglia osseruino le vigilie delle quattro tempore dell'anno, & della Quaresima, & altri digiuni ordinati, secōdo che si cōmanda loro per precetto della Chiesa.

Nel tempo poi, che si celebraranno i santi Giubilei, ò si faranno nelle processioni publiche orationi, auertisca spesso la sua fameglia, che piamente interuenga à quelle sante attioni.

Ammonisca ancora ciascuno della sua famiglia, à farsi descriuere nelle Cōpagnie, da deuoti huomini, instituite, acciò che ogn'uno cō più ardēte studio si esserciti nelle opere di pietà.

Non permetta, che nella famiglia alcuno sia bestemmiatore, pergiuro, ò che sia di cattiui costumi, ò che parli, ò proceda dishonestamente, ò giuochi à carte, ò à dadi, & che finalmente dia altrui essempio di vergognosa vita.

In oltre introduca in casa sua libri intorno al modo di spiritualmente viuere, & di essercitarsi piamente, ò vero delle vite di santi che siano à giudicio del sacerdote suo confessore approbati, nella lettione de quali la famiglia si occupi, rimossi i libri, ne i quali si tratta di cose dishoneste, indecenti, & ridicolose, & altri di simil sorte; onde si possano i buoni costumi, & instituti corrompere.

Et, accioche tal famiglia tutta perseueri più diligentemente nella domestica disciplina, & buona institutione, il Padre di famiglia talhora la visiterà, & principalmente haurà l'occhio come tutta la sua casa sia christianamente ammaestrata, quali siano i costumi di ciascuno, & qual sia il progresso nella pietà, & vità spirituale.

I mercanti poi, & artisti tutti non solamente in casa; ma nelle botteghe ancora impongano à i lauoranti, & operarii loro questa regola di viuere christianamente.

Litteræ quòd Regulares non possint absoluere confitentes à casibus Episcopo reseruatis.

Illustris. & Reuerendiss. Domine.

CVM à sacra Congregatione Cardinalium, qui præpositi sunt decretis Tridentini Concilii interpretãdis, Illustrissima amplitudo tua quæsiuerit, an Regulares ex Priuilegiis à Sede Apostolica impetratis, præsertim autem ex eo, quod nominant Mare magnum, possint in iis casibus, quos sibi Episcopus reseruauit, absoluere confitentes; hac de re vbi Congregatio accuratè egisset, deinde ad Sanctissimum D. N. retulisset, illius Sanctitas etiam de sententia Congregationis censuit, ex facultatibus per hoc Mare magnum, aliauè Priuilegia Regularibus concessis factam eis non esse potestatem absoluendi in casibus sibi ab Episcopo reseruatis. Deus Illustrissimæ Amplitudini tuæ perpetuam vitæ tranquillitatem, & incolumitatem largiatur. Romæ die 10. Septembris 1572.

Illustris. & Reuerendiss. Amplitudinis tuæ.

Humillimus seruus Philippus Boncompagnus
Cardinalis S. Sixti.

A tergo.

All'Illustriss. & Reuerendiss. Sig. mio osseruandiss. Monsig.
Il Cardinale Borromeo.

Dies festi, quibus litteræ Apostolicæ, decreta sacri Tridentini, nec non Prouincialium Conciliorum, ac Edicta, de quibus in præsenti Synodo fit mentio, populo enuncianda sunt.

Con-

Die Circuncisionis Domini.

Dominica in Quinquagesima.

Dominica prima Quadragesimæ.

Dominica secunda Quadragesimæ.

Dominica quarta Quadragesimæ.

Decre-

Die

Edicta, Litteræ Apostolicæ, & Decreta, Sacri Tridentini, ac Prouincialium Conciliorum, quæ inferius impressa reperiuntur.

Edictum

INDEX EDICTORVM, Litterarum Apostolicarum, & decretorum sacri Triden. ac prouinc. Conciliorum quæ inferius impressa reperiuntur.

næ

Errata quæ in Edictis, litteris Apoſtolicis, ac decretis reperiuntur, ſic corrige.

Pagina.	Linea.	
1.	14.	numeri, lege muneri.
4.	34.	diœceſi, lege dioceſi.
12.	17.	caracter, lege character.
17.	36.	ſucceſſoris, lege ſucceſſori.
22.	12.	curationem; lege curatione.
22.	15.	vigiliis ſpeculatoris, lege vigilis ſpeculatoris.
28.	23.	æditas, lege editas.
28.	36.	quot, lege quos.
30.	33.	diſcendum, lege diſcedendum.
41.	6.	prædicto, lege prædito.
56.	21.	ſancta, lege ſanctè.
58.	37.	pro. dele.
74.	36.	prædictis, lege præditis.
76.	33.	eos, lege eas.
78.	26.	multhis, lege multis.
79.	35.	oſtenſi, lege oſtenſis.
80.	13.	prædeceſſoris, lege prædeceſſores.
89.	33.	inobiles, lege inhabiles.
90.	3.	ſuſciendam, lege ſuſcipiendam.